

*Vindiciarum Evangelicarum,
Sive*

DISPUTATIO-
NUM, EX EVANGELIIS AN-
NIVERSARIIS, CONTRA ERRORES ET COR-
ruptelas Adversariorum, in Schola Monasterii
Heilsbronnensis propositarum,
DECAS SECUNDA,

CONTINENS EVANGELIA

Dominica II. III. IV. & V. post Epiphania, Septuage-
sima, Sexages. Quinquages. Invocavit, Re-
miniscere, & Oculi.

Editio secunda correctior, cum Indice.

Autore

JOHANNE MEELFÜHRERO,
IBIDEM ABBATE.



NORIBERGÆ,
Typis & impensis SIMONIS HALBMAYERI.

M. DC. XXII.

*Amplissimis, pietate, Virtute, literarum
scientiâ & prudentiâ Præstantissi-
mis Viris,*

**DOMINIS CON-
SULIBUS ET SENATORIBUS REI-
PUBLICÆ KITTINGENSIS IN**
Franconia, Dnn: & amicis suis plu-
rimùm colendis:

Salutem & gratiam à CHRISTO Salvatore nostro.

EN Vobis, Amplissimi & Præstantissimi
Viri, qui sinceræ religionis Zelo piè ardetis; Ec-
clesiam & Scholam magnâ benevolentiam fove-
tis; ad harum vniuersæ Bibliothecam publicam
sustentatis; præcones Evangelii amatis & ho-
noratis; pro felicitate totius civitatis vigilan-
ter excubatis; quorumq; Aliqui me antehac amicitiam intimè fa-
miliari dignati estis: Hanc meditationum Evangelicarum scho-
lasticarum quidem & in monastica eremone natarum sacrarum ta-
men & orthodoxarum, **DECADEM SECUNDAM** offero &
dico: etiam atq; etiam condendens, ut pro benevolentia vestra erga
studia pietatis, hanc nuncupationem honoris vestri causa factam,
si non ex dignitate opusculi, tamen ex sinceritate affectus mei
erga Vos magni, benignè asstimetis & humaniter suscipiatis, hoc
est, deinceps me meosq; favore atque amore vestro completi
pergatis. *Valete in DOMINO. Dab. Heilsbronnae, 20. Au-
gusti, Anno M. DC. XVI.*

V. Ampl. m

studiofissimè
colens

JOHANNES MEELFÜHRER

HV 3694/12



DISPUTATIO I.
DOMINICA II.
POST EPIPHANIA.

Johann. 2.

I.



Via circa hoc Evangelium, etiam Adversariorum opinione, palmaria est controversia, de vera dignitate Conjugii; ante omnia de illa, quæ ad vindicandam orthodoxam sententiam pertinent, nonnulla dicenda sunt: deinceps ad alia quoque progrediemur.

r.
De vera dignitate conjugii.

II.

In primitiva statim Ecclesia satis sceleratos ofores habuit conjugalis vita. Nam *Simon Magus* docuit detestandam turpitudinem indifferenter utendi foeminis: *Gentes* etiam post conversionem interdum exercuerunt scortationem, tanquam rem adiaphoram, Act. 15. *Nicolaitæ* non modò licitam, sed & bonam esse promiscuam libidinem blasphemè disputarunt: *Carpocrates* & *Gnostici* omnes communionem, quæ inter fideles esse debet, interpretati sunt de promiscuo concubitu, cum quibus velis: quemadmodum etiam nostrâ ætate quidam ex colluvie *Anabaptistarum* communionem uxorùm & docuerunt & exercuerunt. Per huiusmodi sceditates omnes *Sathanas* hoc egit, ne amplius honorabile maneret conjugium apud omnes, Hebr. 13.

Priscæ blasphemie.

promiscuam et licitam.

III.

Directè autem Conjugii honestatem quasi pedibus proculcarunt: *Marcion* contendens, ipsam sexuum commixtionem & generationis opus, esse peccatum, à Deo malo profectum; qui etiam neminem, nisi cælibem, vel matrimonio renunciantem, ad baptismum

Supponit qd. ad apud dicit.

DECADIS II. DISPUTATIO I.

admitit: *Secundus*, de quo Epiphanius, quòd docuerit, mulierem totam, viri verò inferiores partes umbilico tenus, opus Diaboli esse: *Encratite*, qui autumabant, omnes homines damnari, exceptis solis Taurianis, ob continentiae meritum; Legem Moſis, Genealogiam Chriſti & Epistolae Pauli tantum ideò repudiantes, quòd in illa benedictio Conjugii legeretur, in ista Chriſtus à conjugibus originem duceret, in his verò damnarentur, qui matrimonium & legitimum ciborum usum rejiciunt.

IV.

Posterioribus seculis quidam mitius sanè, sed nimis adhuc inclementer de matrimonio judicaverunt, vel per convenientiam tantum, in infimae sortis Christianis conjugalem cohabitationem viri & feminae ferentes, vel prima tantum vota permittentes, *secundis & tertius vota* in Laodicensi, Milevitana & Toletana synodo prorsus explosis.

V.

An Pontificii nostra aetate honoris conjugii veram dignitatem?

Pontificii nostra aetate videri volunt, se longè honestius quam nos sentire de conjugio: praesertim postquam illud in censu sacramentorum reposuerunt. Ita enim scribere Bartolaeum non puduit: *Doctrina ministrorum de dignitate Christiani matrimonii, tam scabiosa est in se ipsa, tum quoque, dum amplissimis ab ipsis exornatur verbosissimisque laudibus, ut cum Ecclesia Catholica sententia ne conferri quidem, vel à longè, mereatur.* (Tom. 2. pag. 180.)

VI.

Quandiu autem ipsis per jus Canonicum in conjugio vivere idem est quod in carne vivere, *Rom. 8.* dum etiam non abrogant rationes, per quas haecenus Sacerdotibus seu verbi ministris conjugium prohibuerunt: tandiu omni sua praedicatione meras nugas vendunt.

Vera dignitas Conjugii.

VII.

Unde non minus illis, quam veteribus opponenda est illa dignitas matrimonii, qua omnibus Christianis constare debet, in isto, quae tali & per se, non minus, quam in quovis alio vitae genere, illibatam conscientiam, sinceram pietatem, fidem & spem salutis, per ordinaria media plantari & conservari posse. seu, ut verbo dicam, homines in legitimo Conjugio pie viventes, nisi quid aliud obstat, tam placere Deo, quam in quovis alio vitae genere.

VIII.

Imò, cum in nullo vitae statu externo per se, aliqua sanctitas coram Deo, multò minus meritum collocandum, sed perinde sit, an ser-

vus, an verò Dominus, caelebs aut conjugatus vocatus sis, *Galat. 3. 1. Corinb. 7.* Matrimonium tamen peculiarem suam dignitatem multis modis commendat, ¹ ab antiquitate, ² à copulatione primorum conjugum in ipso innocentia statu, ³ à creatione & destinatione utriusque sexus ad istam cohabitationem, ⁴ ab autore seu institutore Deo, ⁵ à benedictione ejus, bis ante & post lapsum repetita, ⁶ ab exemplis sanctissimorum conjugum, ⁷ à mandato in novo testamento reintegrato, ⁸ à specialib. privilegiis olim in favorem conjugum concessis, *Deut. 20.* ⁹ à gratia, quam Deus fecunditate proles singulariter declarare solitus est, ¹⁰ à propagatione generis humani, quæ legitime absque conjugio fieri nequit, ¹¹ à typo mysticè representante conjugium spirituale inter Christum & Ecclesiam, ¹² à mirabili conservatione huius ordinis ad hunc usque diem, ¹³ à Genealogia Christi, qui non solum ex longa serie conjugum proavorum, sed etiam à conjugata, seu potius sub fœdere conjugii desponsata Matre nasci voluit.

IX.

In hodierna historia, unà cum matre & discipulis, nuptiis publicè & solenniter celebratis, in honorem conjugum adesse dignatus est, non minorennis, sed sacris sui augustissimi officii jam tum initiatus Salvator mundi, ² Adfuit cum singulari benevolentia, quæ ex omnibus circumstantiis elucet, ³ In illa ipsa festivitate nuptiali initium fecit suorum miraculorum, ad manifestandam gloriam suam divinam, ⁴ Denique ad uberius declarandum suum beneplacitum, non solum sponsum & sponsam, sed etiam convivas nuptiales, miraculoso & amplissimo munere donavit.

X.

Sed obstrepat forsitan Papista: qui enim hoc negat inter nos? *De matrimonii statu in se loquendo nihil certius est in Ecclesia Catholica, quam statum esse in seipso bonum, laudabilem, SANCTUM, ac Deo gratum, adeoque etiam Sacramenti gratià singulari à Christo omnis gratiæ autore sancitum ac conservatum.* Neque hoc opus habere longa probatione dico, contra tam apertas Ministrorum calumnias: in confesso id esse apud omnes Catholicos, testes sunt omnes ii, qui vel totam vitam suam inter Catholicos transegerunt, ac concionibus eorum ordinariis interfuerunt: Testes omnes heresum Catalogi, vel ab antiquis vel novis doctoribus Catholicis conscripti, in quibus perpetuo omnes Encratitæ, Manichæi & similes inter hereticos propterea ponuntur, quod matrimonium, ut malum, damnarint: Testes omnes Catholicorum Catechismi, qui omnium vel puerorum manibus apud nos teruntur,

Probatum est
textu.

Protestatio
Jesuitarum.

DECADIS II. DISPUTATIO I.

in quibus etiam septem Sacramentorum numero insertum perpetuò habetur matrimonium. (Sic protestatur Bartolicius, Tom. 2. pag. 167.)

XI.

Conformis est protestatio cæterorum Catholicorum, quam Costerus etiam distinctarum utilitatum enumeratione clariorem reddit. *Matrimonium*, inquit, ¹ Ecclesiam virginibus fecundat, ² melius in eo instituuntur à parentibus pueri, quam ab exteris, ³ ob difficultates, quas habet, ducit, imò trahit homines ad Deum, cujus egent auxilio, ⁴ habent conjuges à se invicem spem, solatium, consilium, aliaq; bona, ⁵ Deus ei in Paradiso benedixit, ⁶ multos progeniit sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ⁷ ac in primis sub vexiit illud Christus ad dignitatem sacramenti, ⁸ & non nisi ex conjugata, etsi sine coitu, nasci voluit, natuq; in matris utero, conjugatos statim visitavit, ut & eorum proli in utero benediceret. Quiescant itaq; coniuges in suo statu, seq; illis Apostoli verbis solentur: Salvabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate. (part. 2. Conc. pag. 287.)

XII.

Sed protestatio est facta contraria.

habetur in claud

De Sacramentali dignitate pro matrimonio fictitia paulò post dicitur. Esse autem protestationem istam de sanctitate matrimonii apud Catholicos concessa & asserta; facto contrariam: prodit (ut supra innui) prohibitio conjugii, quoad Sacerdotes, multaque rationes, quibus ista prohibitio superstructa est; præterea etiam universa disputatio de virginitatis & viduitatis puritate, conjugium multis parafangis post se relinquente.

XIII.

Si enim in genere quæras de causa, cur post diuturnam consuetudinem & antiquiora decreta, Trident. Concilium Sess. 8. can. 9. denudè edixerit, *Clericos in sacris ordinibus constitutos non posse contrahere matrimonium, nec validum esse contractum*. Respondet Andradius: *Eam esse dignitatem ministerii, ut requirat homines, qui sancti sint & immaculati, in quibus Spiritus sanctus habitare possit*: Illud omninò statuens, Conjugatos tales esse non posse, in quibus vel sanctitas, vel Spiritus sanctus habitare queat. Idem etiam (scilicet in honorem matrimonii nunc à Jesuitis jactatum) isto simili usus est: Sicut olim unius Hevæ opera usus est Satan, ut universum genus humanum ab altissimo gradu dejectum in extremas misérias conjeceret: ita nunc omnium faminarum velut auxilia sibi adjungit, magnosq; impetu in Ecclesiasticum ordinem invadit, ut illi pudicitia & sanctimoniæ splendorem eripiat, atq; ita Sacramenta, in quibus po...

DOM. II. POST EPIPHAN.

bus potentissima salutis nostrae praesidia posita sunt, evertat & demoliantur.
Refert Chemn. Exam. Trident. Conc. part. 3. mihi. pag. 69.

XIV.

Glorientur nunc foeminae sub praesidio Pontificiorum. Doctorem contra Gnosticos, se non esse opus Diaboli, attamen organa evertendi ordinis Ecclesiastici & Sacramentorum: Glorientur conjugati de sanctitate ordinis sui, quo potentissima salutis praesidia, sacramenta scilicet, demoliuntur! Judicent vel pueri, qualis sanctitas & puritas conjugio à Catholicis relinquatur, qui illud, ceu rem prophanam & immundam, sanctitatem ministerii dehonestantem, impediendam & inquinantem, suspensionibus, depositionibus, excommunicationibus & aliis poenis in sacerdotibus suis persequuntur.

XV.

Ex ipsis autem argumentis, pro necessario celibatu in sacerdotio protractis, plenius constat de ignominia, quam Pontificii matrimonio affricant, interim de Sanctitate & puritate eius suo loco rhetoricantes. Ex loco *1. Corin. 7.* arguunt, conjugium esse tam impurum, propter quod nec jejunio, nec precibus vacare, nec ea, quae Domini sunt, facere queas. Conjugium sacerdotum expugnatum volunt per dicta: Sancti estote, quemadmodum ego sanctus sum, *Levit. 19.* Omnia munda sunt mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, *Ti. 1.* Qui in carne sunt, DEO placere non possunt, *Roman. 8.* Non in cubilibus, sed induamini IESUM CHRISTUM, *Rom. 13.* pollutum nolite tangere, *Esai. 52.* Sponsa CHRISTI sit gloriosa, sine macula & ruga, *Ephes. 5.* Corruerent isthaec argumenta omnia sponte, si affectu sincero concederent Pontificii, etiam conjugatos sanctitatem DEO placentem probare posse. Quandiu igitur facta & salva illa esse volunt, tandiu blasphemi manent contra puritatem conjugii, adeoque contra istius autorem DEUM, quem insimulant, quasi ille primus tale vitae genus introduxerit; per quod, ceu efficacissimum organum Satanæ, sincera castitas & sanctitas impediatur aut evertatur.

XVI.

Ex his principiis aestimanda sunt illa Costeri: *In matrimonio non est ea puritas, quae Dei altare decet: potest carnalis coitus sine peccato fieri, habet tamen pollutionem etiam verbis verecundam, Opus CARNIFICIS tanquam justitiae actus per se bonus est, carnificem tamen reddit infamem.* O egregium simile, quo conjugati, etiam Reges & Principes Catholici, mirifice gaude-

gaudere debebant, quòd ab ipsa Conjugali pollutione (saltem aliquo modo) infames proclamentur.

XVII.

Pari ratione cedit ad ignominiam & quasi infamiam Conjugii, hyperbolica prædicatione calibatus, præsertim Pontificii calibatus, tot superstitionibus & blasphemis conspurcati, eò quòd supererogationis perfectio & meritum gratiæ, atq; salutis coram Deo in votiva virginitate & viduitate reponatur, cum solenni reprobatione & abjuratiõne Conjugii.

XVIII.

Neque enim acquiescunt in illis externis prærogativis calibum, dono continentia præditorum, eo què liberè fruuntur; quòd à multis difficultatibus immunes manent, quibus conjugati, propter liberos & domesticae rei administrationem, crucemque multis modis illi implicatam exercentur, juxta *1. Corinth. 7.* contra qualem calibatum Ecclesiæ nostræ nunquam disputarunt, dummodo Conjugio quoq; sua felicitas, commoditas & honestas integra relinquatur: Sed ipsi virginitatem excellentiorem conjugio faciunt coram tribunali Dei, ita ut, non conjugium, sed calibatus sit *satisfactio pro peccatis maxima, promerens gratiam Dei, plenariam remissionem peccatorum omnium, regnum & vitam æternam*: cujus sententiæ deductionem ex scriptis Pontificiorum, vide apud Chemnitium d.l. pag. 15. 16. 17. &c.

XIX.

Quasi non satis abominationis & mendaciorum fuisset, si conjugio priùs denegatam castitatem soli calibatui tribuissent, & in virginitate ac viduitate puritatem aliquam coram Deo valentem reposuissent (quam tamen per se nullus vitæ humanæ status habet) nisi etiam dignitatem meritoriam, solius Christi propriam, istis transscripsissent? contra dicta, *Rom. 3. Actor. 4. 10. & 15. 1. Joh. 1. Gal. 3.* cum Paulus stercus vocet opera, etiam in sese bona & sancta, si cum merito Christi respectu justificationis conferantur, *Phil. 3.*

XX.

Ne dicam, quàm dextra manu furtim abripiant omnia præconia, quæ aliàs, in protestationibus suis, quasi sinistra manu conjugio tribuisse videntur, Bartiscius enim, qui in se laudabile, Deo gratum & SANC TUM vocaverat matrimonium, in loco supra allegato: deinceps aliquoties, pag. 185. 186. 187. falsè ridet Evangelicos, quod epitheto SANC TI, conjugium soleant insignire, der heilige Ehestand: Prorsus autem.

rem ferre nequeunt in Luthero, atque aliis Doctoribus nostrarum Ecclesiarum, quando sua quoque sanctitas laboribus Oeconomicis, in vera fide factis, attribuitur, & quidem certior, quàm in cælibatu monastico, propter foedissimum & blasphemum ab usum, unquam inveniri potest, pag. 168. & 194.

XXI.

Imò si præcedentia omnia stagno lethæo inundarentur: tamè intolerabili injuriæ & infamiæ adhuc subjaceret conjugium apud Papistas, propter assertionem verè Antichristianam: *Sacerdos, si fornicetur, aut domi Concubinam foveat, tamen si gravi sacrilegio se obstringat: gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium: sicut est levius peccatum, si maritus neglecta uxore, vel vaga libidine se polluat, vel cum stabili scorto adulterium committat, quàm si dimissa uxore aliam sibi publico matrimonio jungat.* (In Colsteri Enchirid. De cælibatu, Prop. 9. pag. 528.)

XXII.

Ex hætenus dictis liquere existimo, magna ex parte adhuc jugum trahere Pontificios cum Encratitis, contra suas attestaciones, intrinsecam quandam impuritatem, officio Ecclesiastico, in habitatione Spiritus sancti, & epithero sancti, indignam, matrimonio assignantes: ideoq; dignitatem, ex circumstantiis Evangelii hodierni elucen-tem, rectè ad ipsorum quoq; confusionem urgeri.

XXIII.

Quam dignitatem etiam integram & inconcussam retinet conjugium vel ex hoc solo principio, quia universa scriptura castitatem potissimum in conjugatis Christianis, aut certè longè frequentius, quàm in virginibus deprædicat, Galat. 5. 1. Corinth. 6. Tit. 2. Quia etiam Paulus (qui alibi prohibitionem conjugii doctrinam dæmoniorum appellat, 1. Timoth. 4.) idonei Episcopi notam constituit, si unius uxoris vir sit, propriam familiam & liberorum suorum educationem benè administrans, 1. Timoth. 3. planè ut olim in Veteri Testamento expressâ lege Deus summum Sacerdotem voluit esse conjugatum, Levit. 21.

XXIV.

Quando verò Catholici, ex hoc ipso Evangelio, pro obtinenda gemina præstantia cælibatus, præ vix argentea conjugii (Bartf. pag. 168.) obvertunt: CHRISTUS semel tantum nuptiis interfuit, & aliqua præstantia, unde nos honestatem Conjugio conciliamus: idem autem 30. annis continentibus Maria & Josepho cohabitavit, & perpetuam virginitatem in ipso

Objection pro
cælibatu ex
textu.

corpore suo dedicavit, & per miraculum virginitatem mari afferuit. Ergo longè præstantiorè oportet esse vitam cælibem. (Bartol. To. 2. pag. 169. 170) Respondendum est, in hoc & similib. multis argumentis semper committi fallaciam non causæ, ut causæ. Facta enim hæc omnia sunt à Christo, virgine Maria & Josepho, nequaquam propter causam à Pontificiis exaggeratam, sed propter mysterium incarnationis, in vaticiniis Prophetarum: *Gen. 3. Es. 7. Jer. 31.* definitum, cui reliqua omnia in toto mundo famulari aut cedere debuerunt.

XXV.

Quò autem minus in hanc cogitationem de prærogativa cælibatus intrinsecæ sanctitatis ratione, & de impuritate conjugii, pii abriperentur, idè per mirabilem Oeconomiam providentiæ divinæ factū est, ut conjugali fœdere devinciretur virgo mater Josepho, quamvis ad scopum principale negotii conjugio prorsus opus non esset.

XXVI.

Vehementer itaque fallitur Grodicius, qui hoc unicum argumentum tanti facit, ut, *qui amat Christum, in eo solo libenter acquiescere debeat*, Conc. quadrip. 2. In quo nam? *Absque omni controversia* (ait) *apud Christianos esse debet, Christum non vulorem, sed honestiorem statum in se recepisse. Sed virginitatis statum recepit, Ergò, conjugium licitum quidem est sacramenti videlicet & indissolubilitatis privilegium donatum, sed minus dignitatis & meriti habet virginitate.*

XXVII.

Eademq; opera declinamus nos ejusdem Grodicii distributionem statuum, hoc loco propositam, *In* ¹ malos, ² periculosos, ³ bonos, ⁴ & optimos: Quorum optimorum loco habet illos, quos Christus ipse exercuit (videlicet idè, quia Christus exercuit) *sacerdotum nimirum, cælibatus, Doctorum & Pastorum, pauperum, Anachoritarum, obedientiæ, studiosorum, Luc. 2. Fabrorum, Marc. 6. Mendicorum, Luc. 8.*

XXVIII.

Nec non consecraria Cœsteri, quæ perperam ab exemplo Christi & parentum elicere ausus est: videlicet: *licitum esse post matrimonium consummatum Castitatis* (puta cælibatus perpetui) *votum*. Item: *minime improbandam esse consuetudinem illorum*, (quos magno numero recenset) *qui conjugati licet, exemplo tamen virginis Mariæ & Josephi, virginitatem servarunt*. Longè enim sublimior causa hanc abstinentiam imperavit Mariæ, cui lex conjugalis (per quam alterutrius conjugis corpus in alterius potestate est, *1. Cor. 7. ne propagatio generis humani*

inter

intercipiatur, aut Satanæ tentationibus anſa præbeatur) in hoc conjugio Mariæ cedere debuit.

XXX.

Reſtat, ut de ſacramenti ratione dicam, an vetè illa in matrimonio conjugum locum habeat: tum, quia illam ex hoc ipſo Evangelio elicere conantur omnes Papiſtæ, tum, ut retorqueatur in autores impudens aſſertio, qua (ut ſuprà indicavi) ſtatuunt, ſcabiſam, & revera nullam amplius eſſe dignitatem Matrimonii, ſi ſacramentalis gratia in eo deſiciat, vel abnegetur. Omne enim robur, omne proprium decus & ornamentum nuptiarum in gratia ſacramenti Evangelici ſitum eſſe, ſcribit Bartſcius, pag. 180.

2.
An matrimonium ſit ſacramentum?

XXXI.

Quibus argumentis aliàs dignitatem ſacramentalem Matrimonio conciliare ſtudeant Adverſarii, nunc prolixè vel recenſere vel refutare non licet. Cur autem Chriſtus his nuptiis in Chana interfuert, cauſam dicit Coſterus, pag. 297: *Ut matrimonium ad ſacramenti dignitatem eveheret: Olim enim (ait) matrimonium vinculum quidem fuit inſolubile, non tamen ſacramentum, quo Deus ipſe conjuges liget, ſanctitatem datus & gratiam ad toleranda matrimonii onera &c.*

an autem Chriſtus ipſe

XXXII.

Negamus autem, hoc in nuptiis iſtis à Chriſto factum eſſe, quia Jokannes, qui Chriſti præſentiam, vigilantiam, colloquium cum matre & famulis, & facta omnia accuratè deſcripſit, nullum vel minimum indicium hujus rei proponit. Interim præſamus utraq; manu Papiſtarum conſeſſionem, antehac conjugium ſacramentum non fuiſſe, & nunc expectamus, quo perſpicio textu transformationem illam, in Novo Teſtamento à Chriſto factam, demonſtrare poſſint.

XXXIII.

Deinceps autem Coſterus veritatem rei, ſolidiſſimo argumento videlicet à definitione & eſſentialibus requiſitis ſacramentorum, demonſtrare nititur, cujus demonſtrationis ſumma huc redit: *Cum in quolibet ſacramento requirantur, 1. verbum & viſibile ſignum, 2. miniſter conſiciens, 3. gratia per ſignum à Deo inſuſa: iſta omnia in matrimonio locum habere, 1. Materiam nempe in verbis & nutibus, 2. miniſtros conſcientes eſſe ipſos conjuges, 3. gratiam eſſe partim ipſum inſolubile vinculum, partim gratiam portandi onera matrimonii.*

an ipſa aut.

XXXIII.

Dicimus autem, inſufficientem præſupponi definitionem & requiſito-

quisitorum enumerationem; atque nihilominus, etiam si illa admittantur, Jesuitam in accommodatione deficere: aut si hæc quoque quadret, nondum consentire hanc doctrinam, cum Catholica Ecclesie sententia, quæ non de qualicunque effectu sacramenti, aut de gratia portandi onera conjugii, sed de gratia justificationis, hoc est, Evangelii propria ex loco, *Ephes. 5. 1. Timoth. 2.* malè intellecto pugnat (*V. de Bellarm. lib. 1. cap. 2. de. Matrim.*)

XXXIV.

Quemadmodum & ipse Costerus, qui modò de gratia portandi onera conjugii dixerat, paulò post bona matrimonii ita recenset: *Esse peccatorum remissionem, fidem, amorem ardentissimum, sanctitatem & sobrietatem.* Quod autem dicit, non probat: Aliud enim est, in conjugio viventes, vera fide, justitia salvifica per fidem, & sanctitate gaudere, nempe ex aliis principiis: Aliud verò, quòd conjugium hæc conferat: illud nos contra Pontificios urgemus, hoc verò ipsi demonstrare in æternum nequeunt.

XXXV.

Invertimus igitur nos argumentum: Quicquid non est actio sacra divinitus instituta, in qua Deus per suum ministrum dispensat rem certam visibilibus elementis, ad offerendam & applicandam gratiam salvificam, illud non est sacramentum proprie ita dictum: Matrimonium talis actio non est. Destituitur enim elemento visibili, per quod ex mandato Dei hominibus gratia dispensetur: destituitur etiam gratia Evangelicæ promissionis, cui fides inniti posset, ut ex conjugio, quâ tali, homines meliores aut sanctiores evaderent: præterea conjugium fuit ordinatio Dei communis omnibus hominibus, tam extra, quàm intra Ecclesiam, omnibus seculis inde ab origine mundi continuata, cujus omnis firmitas & indissolubilitas in consensu, & impletione consensus consistit, quam pariter infideles & fideles annuere & præstare possunt; instar aliorum privatorum contractuum: Quomodo igitur sacramentum Ecclesie Christianæ proprium esse, aut indissolubilitas conjugum, vel in illa ratione consistere, vel ab eadem dependere potest?

XXXVI.

Quandoquidem ergo scabiosa est omnis doctrina de dignitate conjugii, si deficiat sacramentalis sanctitas, ex hypothese Bartolæi: Concludimus nunc, ex defectu hujus sanctitatis, quæ nullo fundamento scripturarum probari potest, scabiosam esse universam attentionem

stationem Catholicorum de dignitate matrimonii: Cui ut salubriter medeantur, jubemus illos ab Antichristiano suo dogmate de impuritate conjugii, de sanctissima perfectione calibatus, de exclusione Sacerdotum à vita conjugali, & omnibus inde dependentibus blasphemis pronunciatis: vicissim autem rectius intueri in honorem, quem Christus in hoc Evangelio nuptiis conciliavit, ut & in alia veræ dignitatis momenta supra ex sacris literis enumerata.

XXXVII.

Præter dogma de verâ & spuria sanctitate conjugii, hæc tenentur explicatum, circa hanc historiam Pontificii iterum stabilire satagunt auctoritatem Mariæ in cælis tantam, propter quam ipsius intercessionis Filius Dei nihil denegare queat, omnes afflicti autem ad ipsam, seu matrem misericordiam propensissimam, confugere debeant: videlicet quia tam sollicitam condolentiam, ex sinceræ commiserationis visceribus, his sponis spontè probavit, atq; intercessione sua auxilium certissimum impetravit.

XXXVIII.

Sic enim scribit Stapletonius in Catholico: *Nos Catholici hinc colligimus, quod Maria multo magis in cælis posita, pro necessitatibus nostris apud filium suum intercedat, ut certissima & promptissima Advocata, præsertim cum primum miraculum Christus ad intercessionem Mariæ fecerit, intercessio ejus magni fiat. Idem in Morali promittit. Invocanda est beata Virgo in omnibus defectibus nostris, ut pro nobis apud Filium intercedat, dicens: Vinum non habent, panem, fidem, castitatem, & cætera non habent.*

XXXIX.

Eandem doctrinam Costerus inculcat his verbis: *Discis in omni necessitate ad Mariam confugere: quæ enim hic in re tam levi, qualis est vini defectus, tantum compassa est proximis, nunc in gloria, ubi à virtutibus est perfectior, tibi non deerit, illudq; non solum à Filio, ut Mater impetrabit, sed & tanquam cæli & terræ Regina DABIT.* (In Conc. part. 2. pag. 303.) & pag. 307. *Quæ primum impetravit miraculum, etiam nunc multa impetrabit. Facestant heretici, quibus, ut dicunt, Mariæ nihil opus, quia ad Deum nullo mediante accedunt: Temporalia hæc mediante hominibus concedit Deus, eruditionem mediante Magistro, cur non idem ordo in spiritualibus obineret?*

XL.

Eundem canalem ostendit etiam Grodicius, Conc. 3. *Neg. Filium*

3.
De auctori-
tate B. Vir-
ginis in cæ-
lis.

Sententia
Pontificia.

lius matri negare quicquam poterit, neque gratia à capite ad nos membra, nisi per Collum (Mariam) manare. Id quod ex Mariali Bernhardini didicit, ubi scriptum extat, *Mariam dici COLLUM: Sicut enim collum est medius inter caput & corpus, sic ipsa est mediatrix inter Deum & nos: & sicut à capite per collum in corpora descendunt omnia: ita à Christo per Virginitatem in nos veniunt omnia dona: ipsa enim nobis gratias spirituales TRIBUIT. In Christo est gratia, tanquam in capite influente, in Maria, sicut in collo transidente. NULLA enim gratia venit de caelo ad terram, nisi transeat per manus MARIAE: Est enim mediatrix, salvatrix conjunctionis, justificationis, reconciliationis, intercessionis, communionis &c.*

XL I.

Quo sensu Costerus vocula MULIER in praesenti textu abutitur, existimans hac usum esse Christum, non duriuscule, sed ideo, ut constaret, sicut ipse fuit secundus Adam, ita Mariam esse *Evam* Novi Testamenti, videlicet matrem omnium spiritualiter viventium (part. 2. Conc. pag. 304.)

XL II.

Tantamne rem tamq; incredibilem sanæ Ecclesiæ, tam ruinosæ fundamentis, imò tam incertis conjecturis, superstrui oportuit? Primo, si lyncis oculis perlustrares textum, demonstrare haud poteris, Mariam sua admonitione vel intercessione hoc miraculum impetrasse: Contrarium potius verum est, responsione sua & dilatione miraculi Dominum studiosè hoc egisse, ut & Maria intelligeret, & alii omnes, se neminem hac in parte sui officii respicere, sed pro mero libitu & arbitrio agere, quando, quomodo & quantum voluerit.

XL III.

Deinde, si maximè nunc impetrasset Maria, malè inde concluderetur, quòd omnia etiam in caelis impetret: quia annutus ille Christi, vel spontaneæ ipsius observantiæ, quæ ad statum humiliationis pertinuit, vel benevolæ conniventiae, quæ in potestate vel jure matris reposita nunquam fuit; adscribendus videretur.

XL IV.

Praeterea, si etiam omnia in caelis impetraret orando, nondum, tamen ista hyperbole majestatis locum haberet, ipsius Filii, quæ Mediatoris & Regis nostri, propria: DANDI scilicet, vel (instar colli & canal) derivandi omnia dona gratiæ divini, *Joh. 1. v. 16. Eph. 3. v. 12. 12.* Praesertim, cum hæc majestas, ut & ipse invocationis fiducia & spei cultus

Responsio &
refutatio.

eultus, omnipotentiam, omniscientiam & omnipræsentiam præsupponat, extra quæ divina idiomata impossibile est omnium preces audire, suspiria cordium intelligere, auxilia omnibus afflictis præstare, & dona ipsa singulis applicare. Nisi enim collum à capite Christo in dextra Patris sedente, hoc est, ubiq; potenter regnante, exporrigat sese (per modum omnipræsentia) ad omnes homines omnibus in locis, necessario deficiet ista donorum derivatio.

XLV.

Quia autem ista omnia non in Maria, imò in nullam creaturam cadere possunt: nulla etiam promissio de isto intercessionis officio, ut nec mandatù de cultu invocationis ullubi extat: merito recordamur gravissimarum sententiarum: *maledictus, qui confidit in homine*, Jer. 17. *Dominum Deum tuum adorabis*, Deut. 6.

XLVI.

Invertimus enim argumentum: Si CHRISTUS in statu servilis ministerii adhuc constitutus, tamen respondit matri suæ: *Quid mihi tecum mulier?* adeò, ut in divino hoc officio matris respectum non tulerit, sed omnibus aliis mulieribus æquaverit: Cur non eidem, jam in divinæ majestatis throno regnans, eadem nonnunquam obverteret, si ad nutum, ad imperium, ad postulata Matris beneficia sua conferre deberet?

XLVII.

Quis enim obsecratoria isthæc verba esse credat: *Mulier quid mihi tecum?* nisi in hoc ipso actu declarandæ divinæ majestatis, mulieri humiliter supplicem constituat totius creaturæ Dominum, per manifestum absurdum? Præsumit quidem illud Costerus, pag. 283. sed per consequentiam valdè ineptam, *quando in subsidium causa accersit verba demonis*, Luc. 4. vers. 34.

^{4.}
An verba
Christi sint
obsecratoria

XLVIII.

Intolerabilis sanè videtur omnibus Pontificiis illa verborum Christi interpretatio, qua vel repulsa vel lapsus quidam præcipitantiæ & ambitionis in petendo, ad Mariâ recidat (*vid. Barisc. Tom. 2. pag. 138.*) adeò ut potiùs plurimas alias causas excogitent (*vid. Stapler. Cathol.*) & quasi secundum digitos supputent merita Mariæ, quando ¹ *amanter & humiliter tribus verbis allocuta est filium*, ² *misericordiam & charitatem exercuit*, ³ *spem & fiduciam impetrandi habuit* (*vid. Grodic. Conc. 2.*) atque insuper exclamet Grodicius, *Coram vobis Deo q; ipso prorektor, & peto ab eo, ut omnia MARIÆ virginis peccata mihi potiùs imputentur, quam omnium*

^{5.}
An Maria
repulsa pas-
sa aut repre-
hensa sit?

omnium

omnium hereticorum omnia, quae nunquam fuerunt, opera bona & merita: abrenuncio istis, amplector illa, Conc. 2.

XLIX.

Verum res ipsa loquitur secundum circumstantias ab Evangelista notatas, Mariam ratione facti hallucinatam esse, in sua petitione, etiam si illam ab omni malitia intentionis voluntariae absolvas. ¹ Formula verborum Christi, satis dura interrogatione exasperata, ² Corinth. 6. vers. 14. 15. ³ Denegatio expressa ad minimum, quoad circumstantiam temporis & modi a Maria intenti: *Nondum venit hora mea.* ⁴ Admonitio Mariae ad ministros instituta ex humilissima sollicitudine, ne illi quoque, vel ad monita tergiversarentur, vel Christo quippiam praescriberent, potius autem ipsius purum & absolutum arbitrium cum paratissima subiectione recognoscerent, ⁵ Ostendant Papistae rationem, cur illam formulam: *quid timidi estis modica fidei?* unanimiter pro increpatione interpretentur (*Costerius part. 2. Conc. pag. 390.*) in hac vero nullum increpationi locum relinquunt.

L.

Quod si igitur Mariae, post interpositam intercessionem & preces, nihilominus simpliciter pendendum fuit, & adhuc pendendum est a domino, arbitrio & nutu Christi, planè ut aliis piis: necesse est, evanescere illa: **JUBE NATUM & JURE MATRIS IMPERA.** Curigitur ad Mariam primò, ceu ad gratiae collum, non verò ad ipsum Christum immediatè confugiant afflicti, de quo omnia certa & indubitata sunt, ipsum plenissimè nobis gratiam promeruisse, ipsum intercedere pro nobis, ipsi nihil denegari, sed in nomine ipsius preces omnes exaudiri, *Hebr. 2. vers. 17. & 4. vers. 16. Ephes. 3. vers. 12. Rom. 8. v. 34. Psalm. 21. v. 3. Johan. 16. vers. 23. 24. Joh. 17. ?*

L I.

6.
De scientia
Sanctorum in
caelis.

Probè intelligunt adversarii à nostris satis validè Sanctorum invocationi opponi istorum ignorantiam, per quam absque dubio latent istos nostrae necessitates, suspiria, preces & fiducia: Unde ad cultum invocandae Mariae adjuvandum Grodicius scientiae ipsius patrocinium, ex hoc ipso textu, admodum sollicitè venatur, inquiens: *Istis verbis: dixit Maria ministris, evidenter convincimur, ut credamus Beatissimam Mariam servasse, quid futurum esset.*

L II.

Sed responsio in promptu est: Primò, per inficiationem: nequaquam enim ista verba certò scientiam futuri miraculi, vel mandati Christi.

Christi Mariæ attribuunt, sed piam sollicitudinem, qua in omnem eventum, quicquid tandem facturus esset Filius, informare voluit ministros. Deinde, Si scivit Maria, aliquo indicio cognovit: quomodo autem ista notitia omnibus hominibus communis, vel illa quoque, quæ ex revelatione DEI Prophetæ gaudebant, militat ad adstruendam talem notitiam, de qua controversitur, necessariam scilicet ad exauditionem omnium afflictorum? Gloriam hujus scientiæ omnium scilicet rerum, arcanorum & futurorum quoque, Deus non communicat alteri, *Esa. 42. v. 8. 9.* Quod si ad speculum omniscii Dei, quod Maria & Sancti omnes intuentur, hinc confugiunt: Principium petunt, cum hoc ipsum effugium non minori probatione, quàm causa ipsa, cujus gratia affertur, egeat.

LIII.

Item, Si sanctis preces demum per revelationem Dei innotescunt, nisi jam tum placatus & propensus erga supplices non revelabit: Sicque intercessio ad Christum demerendum frustra quæritur.

LIV.

In ipso abitu ab hac quæstione, liceat etiam illud annotare, Ceterum quidem, pag. 308. propter verba Mariæ: *quodcumque dixerit vobis, facite, docere: Mariam virginem esse patronam vris, qui faciunt voluntatem Christi*; nihilominus Legenda aurea, Exempla miraculorum Mariæ, & similes historici Monachorum, attribuunt Mariæ patrocinia talia, quibus etiam latrones, incestuosi, meretrices, in ipsa pertinacia seclerum frui potuerunt (*vid. Lælium contra Sarror. pag. 55. 57. 478. 479.*)

LV.

Magnificè sibi placent Jesuitæ, quod, non levi imaginatione, sed electione Vicarii Christi, sint in familiam B. Virginis transcripti (Beatam enim esse domum, ubi B. Virgo invitata est: imò in sodalitatibus B. Virginis ipsam Divam matrem Christi matrem familias agere perquam sollicitam, nempe pro domesticis ad perfectam obedientiam, secundum regulam virginis: quicquid jubet, facite, voto obstrictis, *Barisc. Tom. 2. pag. 158.* Quia verò omnis illa gloriatio ex fundamento celsissimæ autoritatis Mariæ hæctenus everio dependet, ruinosâ & incerta est, cum qua nos non audemus nec debemus familiam Jesu Christi, in qua ille solus pater familias est, exclusis à communione officii omnibus sanctis, permutare: propter hanc ipsam historiam, in qua diu carendum fuisset vino, nisi Christus solus in medium consulisset.

7.
Quibus Mariæ
vrasit patrona?

8.
Jesuitæ ja-
nant se do-
mesticos B.
Virginis.

9.
Non stabili-
tur hic con-
tentus pa-
rentum.

Voce *Mulieris* in verbis Christi, quadrupliciter video abusus esse fanaticos. Primò, Quidam cavillati sunt: *parentum contentum hoc exemplo Christi doceri*, quemadmodum ex Justino Martyre Stapletonus in Catholico allegat. Propter quos sciendum est, Christum nil contra quartum præceptum, sed supra illud locutum esse. ceu Dominum legis, quo jure & majestate, in scitis parentibus, etiam in templo Hierosolymitano remanserat: Cum nēnos quidem nudi homines quartum præceptum violemus, quando posthabita hominum voluntate & mandatis, facimus ea, quæ Patris cœlestis sunt, *juxta Matth. 6. Ait. 5. v. 29.* Præordinata est divina voluntas, & subordinata humana recte sentiens, sicque etiam utraque obedientia recte comparata, non contrarie opposita se habet altera ad alteram.

10.
Contra Ma-
nichæos.

Deinde Manichæi ex ista compellatione collegerunt, Mariam non veram, sed putativam tantum matrem Christi fuisse, quia, non matrem, sed mulierem vocavit (*ut ante Cent. 5. Magd. col. 532. ex Augustino de fide contra Manichæos, cap. 25. & tract. 8. in Johannem.*) Sed cur occæcati isti homines non observarunt, quod Maria multò frequentius vocetur mater Christi, quam mulier, præsertim in ipso exordio hujus Evangelii: *Mater Jesu erat ibi.* Inprimis verò illud, quod Ex Maria Jesus natus sit, *Luc. 2. Matth. 1.*

11.
Contra Hel-
vidium.

Tertiò, Helvidiani inde probare voluerunt, quod Maria non virgo, sed conjux, secundum communem conjugii consuetudinem, & plurimum liberorum mater fuerit, (*ut ante Stapl. in Cathol.*) verum ex illa consequentia pueriliter errat, quia vox mulier, Græcè *γυνή* ita sexum notat, ut fœminæ cuivis, etiam virgini, apud autores conveniat.

12.
Contra fa-
naticum qui
negabit, mu-
lieres esse hu-
manas.

Tandem nostrâ ætate fanaticus quidam scurra, eisdem verbis Christi abusus est, ad sceleratam suam thesin, quod mulieres non sint homines. *Si enim* (inquit ille thes. 39.) *cum matre, quæ Christum genuit, nihil illi est, Johan. 2. vers. 4. multo minus cum aliis mulieribus quod commune habet:* Verbis scilicet Christi talem sensum affingens, quasi neget, quicquam commune sibi cum matre esse, ideoque neque communem humanitatis naturam.

LX.

Nemo hic tam obfœnaris est, quin facile odoretur, Satanam

per impium istū lusum & pyrrhonicam disputationem, non tam hoc
 qua si visse, ut mulieris vera, & viris consubstantialis humanitas ab-
 negaretur: quā ut vera humanitas Christi olim à Manichæis, Mar-
 cionis, Apolinaristis, & aliis multoties oppugnata, idē nūc in du-
 bium vocaretur: Cum certum sit, Messiam substantiam suam huma-
 nam, absque ullius viri commercio, à sola Maria matre accepisse,
Luc. 1. Matth. 1.

LXI.

Invertimus igitur hoc argumentū, firmiter concludentes: Quia
 Christus Salvator noster veram humanitatem, non sine (sola peccati
 labe excepta) profusū similem induit, *Hebr. 2.* & verus Filius hominis
 fuit, quia Mariæ filius fuit, in ipsius utero conceptus, & Ex illa natus,
Luc. 1. v. 35. Idcirco ipsa quoque Mater verus homo fuit: quod etiā
 nemo sanus unquam in dubium vocaverit, vel primæ creationis me-
 mor, quando Eva, mater omnium viventium, ex costa Adæ edificata
 fuit, ut eò exactius constaret, illam esse carnem de carne viri, ideoque
 virginem absq; omni homonymia appellari, *Genes. 2.*

LXII.

Quamvis autem Papistæ manibus pedibusq; laborent, ne per illa
 verba: *Quid mihi secum mulier?* dissensus Christi à matre, vel aliqua
 denegatio, admittatur: nihilominus Costerus hanc commonefa-
 ctionem inde elicit: *non debere eos, qui se Deo deo verum, secularibus a-*
micorum negotiis implicari. (In Conc. part. 2. pag. 305.)

13.
 An secula-
 res fugien-
 di?

LXIII.

Quæ verò intelligit opera secularia? Num, quæ tractant filii
 huius seculi, cum quibus conformari etiā secundum Pauli exhor-
 tationem, non decet, *Rom. 12. vers. 2. 2. Cor. 6. vers. 1. 2.* Exemplo suam
 mentem prodit, quod ita enarrat: *Unde cum ad quendam in sollicitudine*
Monachum, frater ejus secularis, auxilii causa accessisset: ille eum ad ter-
tium fratrem ablegavit, respondentiq; hunc obuisse, respondit Monachus, Et
ego seculo mortuus sum. (ibidem.)

LXIV.

Deo igitur de voti in doctrina Costeri modò assignata, non sunt om-
 nes sincerè pii, sed Monachi, religionis electio voto constructi, ² *se-*
culares sunt omnes laici, qui licet vera fide & pietate præditi, tamē poli-
tica munera obeunt, vel externis laborib. exercētur, ³ res seculares sunt,
 tūm omnes, quas tractant Laici, etiā pro ratione officii civinitus im-
 positū, tū auxilia, quib. in cōmuni vita & quotidianis vitæ necessitatib.

opus est. Aurea igitur doctrina Pharisæica hoc vult, non teneri Monachum ad officium charitatis Laico in ejus necessitatibus præstandum, omnia studiose & pertinaciter illi, hoc CHRISTI exemplo deneganda esse.

LXV.

Nimirum satis confidenter profitentur Monachi, se sub prætextu religionis sese subducere omnibus oneribus, quæ Regia lex charitatis, *Jacob. 2. vers. 3.* in subsidium proximi imponit, imò emortuos oculos esse ad opera charitatis, juxta illud *Judæ, vers. 12.* Verùm, quomodo hæc glossa ad exemplum Christi quadrat, qui cum esset ab æterno, Patri suo devotissimus, *Esai. 42. & 49.* tamen negotus seculariũ, nempe convivio nuptiali non solum adfuit, *sed etiam auxilium seculare præstitit* (Stylo nempe Jesuitico) vini scilicet aliquot amphoras sponis & convivis donavit?

LXVI.

Rectius alibi idem Costerus sibi quasi contradicens: *Si in spiritualibus occuparis, exercitiis, precibus, meditatione, & proximis tuis sentis necessitatem, deponere nobis omnia, ac ad ipsius opem accurre. Hoc enim Deo meditando, tuis vigiliis* (In 3. Epiphian. pag. 330.) adeo ut *nam colloquium cum B. Virgine Maria, tum descendendum sit* (ibid.)

LXVII.

Ubi nec admitti potest Hieronymi & Chrysostomi opinio, quæ *res terrestres longe viliores esse, quam quod à Deo petenda sunt* (allegante Silbereschl. in Postilla 3. Epiph. ex Chrysost. Homil. 8. in 1. Timoth. Ex Hieronymo ad Tit. 2.)

LXVIII.

Melioris notæ non sunt illa, quæ Stapletonus & Barthelemy, ex verbis Mariæ ad ministros obtinuit. Ille enim ad hunc modum disputat: *Vale hic locus contra eos, qui mandatorum observationem ad salutem necessariam esse, impie negant* (In Cathol.) Item: *Blasphemo itaque ore ducunt heretici, in egram & plenam omnium Christi mandatorum observationem impossibilem esse* (ibid.)

LXIX.

Fortè alius quispiam Christianus ne per febrim quidem, hujusmodi consequentiam in illis verbis videre potuisset: quam tamen, ceu manifestam & per quam sol dam. Jesuita in conflictu disputationis primario articulo Fidei objicere audet. Facienda enim esse illa omnia, quæ Christus præcipit, nemo dubitavit, qui Christiana professione

14. Etiam res terrestres à Deo petende

15. An observatio mandatorum ad salutem necessariam?

Et
16. An integra observatio possibilis?

Nonisemel nomen dedit. Hoc autem, & præterea nihil verba textus insinuant.

LXX.

Ea autem, quæ ita fiunt juxta mandatum Dei, quomodo vel juvare, vel promereri salutem æternam possunt, quia debemus ex necessitate subjectionis? quomodo pertinent ad rationem salutis hæc ministrorum servitia; de quibus in historia agitur, in infundenda & deportanda aqua aut vino præstita; præsertim cum aliis hujusmodi Oeconomicis operibus Papistæ omnem sanctitatis respectum denegent, ut supra ex risu Bartolomæo annotatum est? Quæ isthæc est consequentia: facile potuerunt servi explere mandata Christi in haurienda aqua, Ergo omnia mandata Dei, etiam quæ intrinsecam & perpetuam perfectionem cordis requirunt, perfectissime impleri possunt a nobis? Hæc omnia tam futilia & prostrata sunt, ut pudere debeat Jesuitas huiusmodi ratiuncularum, alioqui tantæ sapientiæ & argutiæ opinione turgidos.

LXXI.

Alter verò, nempe Bartolomæus per isthæc verba docet: *Licet etiam in rebus divinis ab hominibus præcipi, quæ ad plenam voluntatis Deo executionem facere debent. Et merito in talibus obedientiam præstari exemplo famularum.* Hactenus, si doctrina in sano sensu relinqueretur, facile assentiremus, ut qui in nostris scholis regulam illam didicimus, Magistratum debere esse custodem utriusque tabulæ legis divinæ: similiter etiam parentes & alios in eminentia constitutos.

LXXII.

Verùm in progressu *ὑπερ* suum apertius detegit noster Fridericus, inquit: *Discimus etiam illud, non verum esse in eo genere quicquam, nisi quod simul cum præceptis divinis stare non possit, id est, magis dicere verum, quicquid in lege divina non est expressum.* Assertere igitur vult autoritatem traditionum humanarum & dispensationem in rebus ad ipsam religionem & articulos fidei pertinentibus: quasi ipsa scriptura ad universam rationem salutis & Christianismi non sufficiat, contra 2. *Timoth. 3. vers. ult.* Et quasi non cum voluntate Dei pugnet, quod extra scripturam in rebus divinis proponitur, eo ipso quia extra scripturam ex propria intentione affertur, contra voluntatem Dei, *Deut. 4. & 12. Apocal. 22.*

De traditionibus præter scripturam.

LXXIII.

Glossæ sive consequentiæ isti versiculus allegatus tum de num.

savebit, quando demonstratum fuerit, obedientiam Christo debitam, ut & ministeria servorum, in scripturis non esse præcepta, sed Mariam mandatum dedisse, quod instar traditionis, extra & præter scripturam excogitatum fuit.

LXXIV.

Sin pueriliter regerant Adversarii: ubi ergò in scripturis extabat tale mandatum Dei, de sex hydriis aqua eo tempore replendis, quod quidem ministerium, aut simile quoddam in eventum, Mater Christi spectavit? revoco lectorem ad ea, quæ in alia quadam disputatione antehac dicta sunt, de genere præcepti operis, cujus tamen species vel singulares actiones, vel etiam externæ & contingenter incidentes actionum circumstantiæ, in arbitrio hominum, secundum *res* diversarum vocationum, relicte sunt. Hæ enim sub ipso genere mandata sunt, & propter conscientiam implendæ, quoque limitatio vel definitio legitima alicujus superioris intervenit. *Exempli gratia*: Ut jam impleas hydriam aqua, quando vel parens, vel herus domesticus, vel alius quispiam legitime iubeat, à Deo præceptum est illa lege, qua ad fidelem obedientiam erga superiores tuos obligatus es.

LXXV.

18.
Faciant Pa-
pistæ, quod
Christus ju-
bet.

Vicissim itaq; nos Pontificiis occinimus illud: *Facite quodcumq;* Christus dixit, ideoq; non obstantibus Romanæ Ecclesiæ decretis, utramq; partem Eucharistiæ etiam Laicis distribuite; etiam Sacerdotibus conjugium permitteite, abjicite mandata hominum, *Matth. 19.* absolvite peccatores penitentes in solo nomine Christi, absque carnisificina satisfactionum impositarum &c.

LXXVI.

19.
An coopera-
tio nostra re-
quiratur?

Non tamen his duobus bolis contentus est uterque Jesuita, sed tertium ex iisdem verbis Mariæ objiciunt, nempe illum: *Cooperationem nostram plane requirit Christus, si suam nobis conferre debeat salutem: ideo Christus nec prius manum admovit, quam ministri imperatores partes expleverint, nec plus aqua in vinum convertit, quam à ministris haustum fuit.* (Bartl. Tom. 2. pag. 262.) *Locus hic facit contra hæreticos de cooperatione nostra necessaria ad Dei beneficia consequenda: qui arborum libertatem non minus insulse, quam impie negant* (Stapletonus in Cathol. & Morali prompt.)

LXXVII.

Sed maneat in terminis. ó Fraterculi, & denudabitur vanitas sequelæ: Operati sunt isti famuli, exequentes mandatum Christi in

aqua haurienda. sed NON COOPERATI sunt ad beneficium Christi. Quod enim illud fuit? Nonne miraculosa commutatio aquæ in vinum? nunquid ad hanc operationem quicquam vel contulerunt, vel conferre potuerunt ministri? Minimè certe.

LXXVIII.

Ad eundem igitur modum, quam ^{relig.} externam Deus nobis præscripsit, collaturus nobis spiritualia sua beneficia, ad conversionem nostram & ad æternam salutem pertinentia, *Exempli gratia*: Ut legamus, audiamus & meditemur verbum, ut Sacramenta à Christo instituta legitime administrantur & sumantur: in ea omninò opus nostrum in obsequio externæ locomotiivæ accedere debet, & nisi accedat, propter hunc contemptum Deus suam gratiam non immeritò subtrahit & denegat: Hæc tamen omnia facientes, adhuc purè passivè nos habemus, ad divinam operationem ipsius gratiæ seu beneficii spiritualis: ad illuminationem sumus tenebræ, *Ephes. 5.* ad vitam spirituales sumus mortui, *Ephes. 2.* ad conversionem sumus saxei, *Ezechiel. 36.* ideoque nihil profus cooperamur nec cooperari possumus, juxta dicta, *1. Cor. 2. v. 14. 2. Corinth. 3. vers. 5. Philipp. 2. v. 13. Rom. 9. v. 16. 1. Corin. 3. vers. 7.*

LXXIX.

Negari non potest, Christum licet ad tempus erga Matrem in tempestivè rogantem celaret, tamen admodum sollicitum fuisse pro sponsis harum nuptiarum; eundemque non minùs sollicitum esse & manere semper, pro spirituali sua sponsa Ecclesia propter promissiones, *Joh. 14. v. 18. Matt. 28. v. ult. Joh. 10. v. 28. 29. Rom. 8. v. 34. Esa. 62. v. 4. 5.* Perperam autem Bartscius inde concludit, fieri non potuisse, ut secundum Lutheranos serè per mille annos Ecclesiam Romanam Antichristo adulterandam Christus prostituere (Tom. 2. pag. 254.)

LXXX.

Responderetur: Neq; hoc ab ullo nostratium ministrorum dictum vel auditum est, Christum suam Ecclesiam prostituisse Antichristo: sed tamè ipsa Romana Ecclesia, quæ talis, à sponso suo descivit ad meretriciù questum cum Antichristo, *Apoc. 18.* cum ipse fidelis maneret, *2. Tim. 2. 1. 2. 3.* Semper autè sub illis seculis sponsam suam electã, licet miserè afflictam, sibi asseruit contra portas inferorũ, *Matt. 16.* munda- vit etiam & gloriosam reddidit, juxta *Eph. 5.* Quemadmodũ tempore Eliæ aliquor millia, in invisibili electorũ coetu, erant gloriosa sponsa Christi, cum aliàs Judaica Ecclesia serè tota ad Baaliticum adulterium descivi-

20.
An Christo sollicito, Ecclesia nõ possit degenerare?

descivisset, *1. Regum 19.* Atque ita deficere seu seduci posse virginem CHRISTO desponsatam, docet Paulus, *1. Corinth. 11. vers. 2. 3. 4. Roman. 11. vers. 21. 22.*

LXXXI.

21.
An paupertas sit prima scala in caelum?

Quod verò Christus non statim ad nutum matris, antequam defectus vini publicè innotesceret, per miraculum suum vinum procuravit, id pii quidè agnoscunt factum ad solatium paupertatis, quæ pars Christianæ crucis est: Tympius autem factum putat ad commendandum paupertatis (paupertatis, inquam, ex voto sponte arreptæ) statum & meritum: *Wir müssen den Irrthumb meiden, daß Armut schandt sey, da sie doch die erste Staffel an der Himmelsleiter ist (Ceremonien warumb/pag. 16.)*

LXXXII.

Ubi nihil aliud dico, præter illud: Cur ergo Christus per munificum suum miraculum, defectum illum dispulic, sicq; quasi præcidit primum gradum istius scalæ.

LXXXIII.

22.
De hydris & vino, quas Papistæ ostentant.

Nisi ager Romanæ Ecclesiæ tam fertilis esset miraculorum & miraculorum reliquiarum, incredibile videatur toti mundo, quomodo portio hujus vini Aureliam Galliæ deportari, ibique tandiu asservari potuerit? Infeliciter autem istis fabulis consuluit Johannes Evangelista, qui capacitatem singularum hydrarum expressè annotavit, videlicet metretarum duarum, vel trium (metretam autem Georgius Agricola, diligentissimus harum rerum scrutator, centum libris vini: alii Argentoratensi amphora, æstimant) easque ab usu baptisimorum seu lotionum frequentium, *Marci 7. vers. 2.* ita descripsit, ut non urceis portatilibus, sed lapideis labris similes eas fuisse, quilibet conjiciat. Ita falsitas *in welsche* reprehenditur, postquam variis in delubris Papistarum ostensæ sunt hydræ portatiles, vix congiuncapientes: unde longè majorem suspicionem de ipso vino obortiri necesse est.

LXXXIV.

23.
An faciat hoc miraculum protransubstantiatione Eucharistiæ?

Ipsium miraculum seu miraculosam aquæ mutationem in vinum Papistæ totam suam faciunt, in confirmatione transubstantiationis (quam ita vocant) Eucharistiæ. *Preparavit Deus medicinam ante morbum (ait Grodicius) & simile quid præmissi, ne impossibilis videretur transubstantiatio in Eucharistiæ, plane ut sterilis conceptionem præmissi, Luc. 1. & multiplicationem panum, Johan. 6. (Conc. quadrip. 2.)*

LXXXV.

LXXXV.

Et sanè jam pridem ad negotium transsubstantiationis traxisse hoc miraculum legitur etiam Petrus Cluniacensis, in Cent. Magdeb. 12. col. 837. vide Stapleton. in Cathol. & Costerum, in Conc. part. 2. pagina 313.

LXXXVI.

Per distincta membra Stanislaus Grodicius confectaria sua ita proponit. *Quinq; habemus ex hoc miraculo: 1 Sicut hic aqua non est, sed vinum: ita in Eucharistia panis & vinum non est, sed corpus & sanguis, & hic multo minus, quia ibi materia mansit, hic vero tantum accidentia. 2 sicut hic in preparatione solum vinum miraculose factum datur convivis, ita in distributione Eucharistia, populo unius speciei est licitum, & hic quodammodo prefiguratus usus, 3 Sicut hic Archirichinus dicitur gustasse AQUAM, quamvis aqua non fuit: ita licet Eucharistia dicatur fractio panis, panis tamen ibi non est, sed nomen retinet originis, sicut Exod. 6. vers. 12. Job. 9. v. 17. 4 Non impossibilem esse iransubstantiationem, quia hic simile quid videmus. 5 Imò fortius: quia ibi nihil: hic vero in cena Christus prædixit faciendum, & explicat factum. Credis Archirichino, cujus gustus falli poterat: & sidem negas verbo Verbi? (In Conc. 2. Quadrip.)*

LXXXVII.

Respondetur: Si de possibilitate tantum quæstio esset, nunquam tergiversaremur, qui omnipotentiae Christi Testatoris, cui nihil non possibile, etiam illud humiliter adscribimus, quod cum pane Eucharistico verum ipsius corpus datur: unde tantâ declamatione, quasi possibilitatem transsubstantiationis *ἀποδύς* negemus, apud Stapletonum & alios, haud fuisset opus.

LXXXVIII.

De voluntate Testatoris principaliter est quæstio, quam nos scimus nunquam fuisse, ut substantia panis in substantiam corporis ejus transmutaretur, sed tantum ut cum benedicto illo naturali & visibili pane ac vino, ipsius corpus & sanguis, invisibili ac mystica ratione, edentibus ac bibentibus communicaretur: quemadmodum Paulus, 1. Cor. 10. perspicue docet, panem non esse essentialiter ipsum corpus, sed *ὑποκατάστατον* corporis, & poculum esse communionem sanguinis, in ipso usu manducationis & bibitionis.

LXXXIX.

Unde tam panem & vinum, quam corpus & sanguinem oportet adesse, cum inter unam rem existentem, & alteram non amplius

existentem *negativam*, seu communio locū non habeat: quemadmodum absurdè diceretur, inter aquam in hydria non amplius extantem, & inter vinum recens factum esse *negativam*.

XC.

Ideoque nihil ad rem facit, quod Grodicius obvertit: CHRISTUS *prædixit in cœna* FACIENDUM. Facere enim iussit, non quod fingunt Papistæ, sed quod ille sancivit, nempe distributionem, manducationem & bibitionem corporis & sanguinis sui, cum pane & vino, juxta suam institutionem, benedicto.

XCI.

Neq; etiam consistit illud primarium effugium, quasi Paulus in cœnæ usu *appellationem panis retinuerit*, non quod amplius *revera adsit, sed ratione originis, quia corpus ex pane factum fuit*. Paulus enim non tantum appellationem retinuit, sed etiam *negativam* docuit, quæ in transsubstantiatione locū habere nequit, ut modò dictum est: Præterea exempla adducta non quadrant, cum in illis simul transmutatio expressè, in cœna vèò minimè, sed contrarium doceatur.

XCII.

Præcipuè in nostro exemplo clarè & immediatè conjunguntur hæc duo: *Aquam gustavit Architriclinus, quæ facta fuerat vinum*. Unde falsitas istius quoque assumti simul patet, quòd *in aqua miraculosa transmutatione simile quid transsubstantiationis Eucharistiae factum sit*. Ibi enim accidentia, unà cum subiecto desierunt, ut vinum non amplius saporem & reliqua attributa aquæ, sed vini veri & generosissimi exhiberet, atque Architriclinus ipso gustu veritatem rei deprehendere posset: quæ in sua transsubstantiatione prorsus contraria Papistæ somniant, videlicet Sola accidentia panis & vini, abolitâ materiali substantiâ, seu substantiali subiecto, reliqua manere: cujus mutationis exemplum adhuc ab adversariis expectatur.

XCIII.

Atq; nihilominus si dari posset ex ulla vel profana, vel sacra historia: tamen de corpore & sanguine Christi, tale quid cogitare nondum liceret, quòd illud à Missifico ex pane & vino toties creetur de novo, & quidem subiectum physicis accidentibus panis & vini, quoties ille verba institutionis, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus super elementa externa demurmurat.

XCIV.

Nihil igitur opus est transsubstantiatione, ut satisfiat *vis in vis* verborum

borum

borum cœnæ: Hoc est corpus meum. *Primo* enim non dixit Christus, hic panis est corpus meum, sed Hoc, scilicet quod ego comedendum præbeo. *Deinde*, si maximè ita locutus esset, tamen vi voculæ EST tantum veritas rei, non autem substantialis mutatio infertur: Aliàs in similibus locutionibus aliorum mysteriorum: genitum ex Maria est filius Altissimi, *Luc. 1.* germen Davidis est Jehova, *Jerem. 23.* Verbum est caro, *Joh. 1.* per crassissimam absurditatem, substantialis commutatio, etiam adversariis invitis, foret admittenda.

XCV.

Securi & ebriosi filii Bacchi sibi gratulantur de iudicio Architrilini, qui censuit, *deterius vinum etiam illa ætate reservari debuisse, donec convivæ inebriati essent*, præsumentes inde, etiam istarum nuptiarum convivæ, inebriatos fuisse, idq; Christum adeò non improbasse, ut potiùs amplissimo dono vini intentionem eorum adjuverit.

XCVI.

Atqui vehementer falluntur. Ignorantes scripturam, quæ acriter taxat & damnat ebrietatem, *Ephes. 5.* & alibi. *II.* Si valeret consequentia, Christus creavit & donavit vinum, Ergò non improbat ebrietatem; sequeretur etiam, creavit linguam, Ergò, non improbat blasphemiam. *III.* Committitur igitur fallacia, à non causâ. Vera enim causâ donati vini in tanta copia fuit, ¹ beneficentia Christi erga pauperes sponso, ² illustratio gratiæ diviniæ, ³ & potentiæ Christi, ⁴ in primis confirmatio fidei in discipulis nuper in collegium ejus adscitis. *IV.* Omnes personæ sobriæ, & sobrii iudicii, in historia introducuntur, Maria sollicita, Christus, ministri, Architrilinus. *V.* Non dicit textus, hos convivæ fuisse ebrios, sed generalis tantum consuetudo conviviorum allegatur. *VI.* In primis certum est phrasi Ebrææ, inebriari esse idem, quod satiari *Psalm. 36. vers. 19. & 65. vers. 10. Hag. 1. v. 6.* *VII.* Aut sicubi Deus legatur condonasse sanctis suis lapsus infirmitatis, ideò ne existimandum, istos peccati rationem, aut prohibitiones suam vigorem, amisisse?

XCVII.

Ultimo loco, quando Christus in Chana Galilææ initium signorum suorum fecisse dicitur, subjicitur nobis occasio, doctrinam de miraculis breviter proponendi: præsertim, cum Pontifici inde arguant, *Unicuique Docteri, qui religionis formam, QUAM INVENIT, innovandam proficitur, necessariam esse miraculorum operationem.* (Bartsc. Tom. 2. pag. 275.)

24.

De abusu
textus pro
ebrietate.

cui conatibus

25.

De miraculis.

B. J. CV.

XCVIII.

Vera mira-
cula que:

Discimus igitur, Miracula propriè ita dicta (quæ non sunt confundenda cum illis, sive præstigijs, sive occultis naturæ mirabilibus, ad quæ vulgus, ex trita consuetudine tantùm pendens, obstupescere solet) esse opera supra, non rarò etiam contra vires & cursum naturæ facta, *Johan. 2. 7. 3. Daniel. 3.* ideoque non nisi divinæ omnipotentis propria, *Johan. 3. vers. 2. Johan. 5.* quæ talia vel immediatè vel mediatè per homines, *Exempli gratia:* per Prophetas & Apostolos, edere solet, *Exod. 8. 9. 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. Actor. 3. & 13.* ad gloriam nominis sui illustrandam, *Johan. 2. & 5. 23. 27. 4. 21. 26.*

XCIX

Unde etiam contra Arianos ex nostro textu concludimus, quia Christus miraculo hoc suam gloriam manifestavit, illum non ut organum, instar Moïsis & aliorum Prophetarum, operatum esse, sed fuisse *αὐτὸν θεόν*, ideoque verum Deum, eadem cum Deo Patre potentia operantem, *Johann. 5. vers. 19. 20. 28.* Eadem virtute unctus est Christus, etiam quæ homo, propter personaliter inhabitantem *λόγον*, *Actor. 10. vers. 38. Coloss. 2. vers. 9.*

C.

Prophetæ autem, Apostoli, aliique sancti viri quemadmodum per virtutem DEI miracula edentes, Dei nomen & gloriam manifestarunt: ita donum edendorum miraculorum non eâ ratione perpetuum, aut in suo arbitrio positum habuerunt, ut possent semper & quovis loco agere, quæ vellent, sed ipsis simpliciter pendendum fuit à liberrimo nutu DEI. Aliàs ab omnibus periculis potuissent se ipsos & alios immunes præstare: Cùm contrarium historia Ecclesiastica testetur: Inprimis autem de lethaliter decumbente Epaphrodito, fatetur Paulus suam afflictionem, *Philippens. 2. vers. 27.* quem miraculosa operâ facillè potuisset sanare, si libera & plena potestas penes ipsum fuisset.

CI.

Quæ igitur Satanas vel immediatè, vel per sua organa, per Antichristum & falsos Prophetas alios, per veneficas & Magos & similes, stupenda & sensibus nostris incomprehensibilia facit, non ideo miraculorum verorum nomen & dignitatem merentur, sed signa mendacia vocantur. *2. Thess. 2. Dent. 13.*

CII.

Quæ cum per se sint difficilima dijudicatu, præsertim simplici-

ciori-

cioribus, quibus externa specie etiam Diaboli virtutes imponere possunt: ideo Deus quidem verbum & majestatem suam subinde miraculis illustrem reddidit, noluit tamen fieri judicium de doctrinæ veritate, aut de veri Dei majestate, ex solis miraculis, quæ talibus, *Deut. 13.* Suscipienda igitur & grata mente prædicanda sunt ea, quæ veritatem, genuino suo fundamento, nempe verbo divinitus revelato superstructam, illustrent: repudianda verò cætera, quæ ad superstitiones aut errores contra aut præter scripturam abducunt, *Matth. 24.*

CIII.

Etiam, quando per Prophetas sinceros, aliosque extraordinarie vocatos, DEUS edidit miracula, eò spectavit, ut homines se loquentem audirent, sibi crederent, præceptis obedirent, & prædicatum verbum, tanquam cœlitus à seipso profectum sine hæsitacione suscipere: non verò, ut sui verbi veritas à miraculis certitudinem & auctoritatem demum conquireret. Ut etiam ipsum Johannem Baptistam miraculis clarum non reddidit, *Johan. 10. vers. 41.* ut eò liquidius constaret, miracula ex verbo, non verò verbum ex miraculis examinandum esse.

Finis miraculorum.

CIV.

Inde etiam, postquam antiquissimis illis seculis per miracula divina abunde demonstratum est, hoc verbum, à Prophetis & Apostolis in literas relatum, esse ἡρόπρωτον & ipsissimum Dei verbum: ea dignitate & auctoritate intrinseca pollet in æternum, etiamsi nulla amplius miracula accedant: etiam quando veritas illi verbo superstructa, contra hæreticos & persecutores asserenda, aut à corruptelis inveteratis repurganda est.

Miraculis non amplius est opus.

CV.

Quod ipsum pertinet ad inficiationem canonis paulò antè ex Barsicio prolati, quo etiam complices Reformationi Lutheranae invidiam conflare ferè semper conantur. Etiam si enim Doctor profiteatur innovationem doctrinæ, quam invenit, si corruptè inventam tantùm repurgare & ad pristinam sinceritatem juxta veram normam (sacrarum scilicet literarum) reducere studet, miraculorum testimoniis prorsus non habet opus, quia illam ipsam doctrinam profiteretur, quam olim Prophetæ, Christus & Apostoli docuerunt & divinis miraculis illustrem reddiderunt.

CVI.

Alioqui nec ipsis Pontificiis hodiè liceret reformationem vel in-

novatio-

novationē instituire doctrinæ in Palatinatu inventæ, nisi prælucentibus miraculis, à quibus tamen isti homines tantò nudiores, quantò major eorum est jactantia, & quidlibet fingendi temeritas.

CVII.

Tandem clausulæ loco notetur: Quia Christus initium signorum fecit in miraculosa creatione vini, quâ & gloriam suam manifestavit, inde planum esse, quòd blasphemè olim docuerint Severiani & alii Encratitæ, non sobriam abstinentiam à vino, sed perpetuam, & salutis ratione necessariam: fingentes, vites ex coitu Satanae cum terra esse exortas, contra Sirac. 32.

CVIII.

Nos Satanam hic deprehendimus spiritum vertiginis in filiis incredulitatis. Nam Puteoritis olim, referente Philastrio, persuasit, ut puteos colerent, in alium fodientes, quasi aquam salutis inde sperantes, propter historiam, *Johannis 4. vers. 14.* Isti autem fanatici, de quibus sermo est, immemores miraculi tam illustri, vinum etiam damnarunt: Nostros autem Romanenses impulit, ut non solum vinum biberent, sed & vinum illud & hydrias inter sacras reliquias venerarentur; imò sanguinem Christi sub species vini, consecratione sua mislatica redigerent: Ebriosos & bibulos eò abducit, ut multoties toti vino & maddi & infani reddantur.

DISPUTATIO II.

DOMINICA III.
POST EPIPHANIA,

Matthæi 8.

I.

Venadmodum in bipartita hujus Evangelii historia de Leproso & Centurione, doctrina de vera fide, quanti coram Deo & Salvatore nostro Jesu Christo sit, inter omnes alias eminenti in ista adulteranda, circa hunc textum Pontificii in primis laborant; Et quia sciunt, memorabilem esse ac notam universæ Ecclesiæ commendationem fidei

Centu

Centurionis, omnes vires ingenii huc convertunt, ut suam Catholicam, hoc est, secundum principia & requisita Papistica descriptam fidem, isti quam simillimam efficiant.

II.

Præ cæteris gregalibus Bartscius sese admodum oculatum & industrium voluit præbere, qui ideam fidei, in Centurione & Leproso, secundum sequentes lineas designat, quò minùs impedita, imò facilima deinceps accommodatio ad fidem Catholicam evadat, Evangelica autem fides, totà quasi janua, ab isto exemplo Centurionis, adeoque ab ipsa veritate aberret.

III.

Primò illi, ratione objecti, fides Centurionis tantum *implicita* fuit, credens credenda, quantum quidem ipsi innotuerat, paratus ad omnia, qua ipsum Christus docetur us orat, Tom. 2. pag. 298. 381. 385.

Novem vèl pul. ingl. R. 10.
quinta fidei
secundis Pa
pistas.

IV.

Secundò, Fides Centurionis non habuit expressam promissionem, cui filiali fiducia inniti potuit, sed in genere sese permisit omnipotentia & misericordia Christi, pag. 298.

V.

Quemadmodum etiam Bellarminus scribit: Centurio nihil aliud se credere professus est, nisi Christi omnipotentiam & divinitatem, Ergo fidei justificantis objectum non est specialis misericordia, sed omnia, qua revelata sunt. (De justific. lib. 1. cap. 8.) Et de Leproso: Ambigebat leprosus de speciali misericordia: alioqui non dixisset, S I V I S, & tamen, quia non defuit fides omnipotentia, impetravit, quod petiit: Unde Cardinalis infert, fidei justificantis objectum, non solum, non esse specialem misericordiam, sed etiam omnia revelata: sed justificantem esse sepe, quamvis non respiciat misericordiam specialem, & non esse justificantem, si forte respiciat (ibid).

objedū p. R. 124.

VI.

Tertiò, ratione actus, qua dicto modo novit & credidit Centurio, plenissimo animi consensu amplexus est, omni possibili in homine fideli plerophoria, nec ulla in parte ullius hesitationis signum reliquit, Bartsc. pag. 289. 290. Nec quicquam (ait) præterearequisitur ad summam fidei in suo genere perfectionem.

VII.

Quartò, Fides Centurionis in actum omnem plenè posita fuit, & juxta Jacobum operibus bonis (pro tali tempore) consummata: quando videlicet ex fide CHRISTUM adit, eidem condignè reverentiam habuit, extreme sese humiliavit, quidvis speravit, ne desistissimè orationem suam proposuit, arden-

R. 111

verentissimam charitatem famulo suo probavit, publicè etiam fidem suam professus est.

VIII.

Mysteria hæc quòd spectent, facillè intelligit, qui dogmata Antichristiana de fide salvifica perspecta habet, quomodo nimirum negent, Illam objecti ratione *veritas*, & principaliter ferri in misericordiam Dei Christi merito ad gratuitam remissionem peccatorum & vitæ æternæ donationem in Evangelio promissam: Item quomodo negent, fiduciam filialem & indubitatam, præter novitiam & assensum, ad essentiam fidei pertinere: atque deinceps de fide formata ita disputent, quòd anima & vita ejus, etiam quâ justificat, in bonis operibus consistat: ut & dicacissima loquacitas Bartscii, per pleniorè explicationem, atque orationibus nihil aliud loquitur.

IX.

Adeò, ut vers. 11. de iis, qui ex Oriente & Occidente venientes, cum Abraham discubaturi sunt in regno cœlorum, confidenter affirmet, futurum illud esse *per justitiam non nisi bonis operibus consummatam* *quæ etiam Abrahæ imputata fuerit*, Tom. 2. pag. 391. 400.

X.

Imò huc quoque pervim trahit illud, quod de filiis regni ejicientis Christus pronunciat, existimans, inde sequi, *solam fidem in filiis regni ad salutem non sufficere* (quæ tamen ex sententia Catholicorum sola & vera esse possit) *nisi ab illa imperfectione ad perfectam formam per bona opera perveniat*, vide pag. 355.

XI.

Quintò, Stapletonus in Catholico prompt. fidem leprosi, quæ tamen vera fuit, & petitionem liberaliter obtinuit, cum incertitudine & dubitatione conjunctam statuit, inquiens: *Locus hic valet contra certitudinem gratiæ* (scilicet in Evangelicis Ecclesiis, juxta doctrinam Apostolorum, Rom. 4. Hebr. 11. Jacob. 1. propositam) *Hic enim leprosus sine ulla tali certitudine, imò dubitanter loquens, quoad Christi voluntatem erga se in particulari, mundatur tamen à Christo.*

XII.

His nondum contentus Bartscius, Sexto loco affirmat, fidem Centurionis *sine omni verbo Dei* tam devotam, & tamen verè placentem fuisse. *Quod enim illa expetit, neque pro ipso, nec pro quovis hominum ullam in genere habet in scripturis promissionem talem.* De sanitate enim corporali infirmi paralytici agebatur: *nulla verò usquam sacra litera*

corporaliter agrotantibus certam à Deo promittunt sanitatem, pag. 378. Ubi etiam farcasinum adjicit: id quod ipsa experientia Ministros in morientibus, ipsorum vel uxorcibus charissimis &c. docet: quandoquidem, quamvis omnem tum simul omnium Evangelisimorum suorum fidem, in unum illud conferant caput, ut vitam earum sibi conferent incolumem, inanem tamen credulitatem eam esse experimur. Quomodo vero id, si Deus certum quidvis eo in genere promississet? (Ibidem.) Item: Ubi Centurioni huius nostro mandatum fuit, ut taliratione adoraret Dominum? Ostendant id nobis doctissimi bipedum omnium ministri: Spontanea sua devotione iniustus totus fecit: quo ipso corruit principis ministrorum aries, quo evertere se posse putant magnam Ecclesiasticarum observationum partem, nihil accipiendum esse, nihil Deo gratum, nihil laudabile, quod non expressum in scripturis habeat mandatum (pag. 315.)

XIII.

Septimò, fides Centurionis, ex Jesuitarum sententia, placuit Christo, non ob relationem, quia ceu manus quædam apprehendit oblatam gratiam, sed ut opus in se bonum, quo clarificatus est Christus coram hominibus, propter quod & postquam Christus tantam fidem audivit, admiratus est, pag. 339. 382.

XIV.

Octavò, fides Centurionis talis fuit, ideoque tanta commendatione dignissima, quia seipsum indignum judicavit presentia atque aspectu Christi, ideoque per intermedios quasi arbitros & intercessores (seniores scilicet Judæorum & amicos suos, Luc. 5.) plane, ut adhuc Catholici non audent immediate ad Deum & Filium ejus prorumpere, sed per invocationem Sanctis mediatoribus & intercessoribus humiliter utuntur, pag. 296. 302. 487.

XV.

Nondò, Eadem fides Centurionis prostravit ipsum ad adorandum CHRISTUM etiam publice in plateis: in quo ipsam imitantur Catholici, procidentes coram Eucharistia, tum ad aram, tum in processionibus & omnibus aliis in locis, omnem honorem possibilem deferentes, pag. 298. 314. 416.

XVI.

Cui ad stipulatur Costerus: Nunquam à se latram prohibuit Christus, quin ubiq; admisit, in præsepia tribus Regibus; in platea, à leproso; in civitate à Taro; in domo à Chanana a muliere; in cruce à latrone; imò in obsessis à demone ipso: Quid ergò Lutherani heretici insaniunt, Venerabile

s 46

s 55

Eucharistia sacramentum adorandum & venerandum non esse, in quo tamen Christum Deum, & hominem consistunt. (In Conc. par. 2. pag. 336.) Vide etiam ibi, quomodo & vnicula Eucharistiam adorare solita est.

XVII.

Hic satis confidenter exclamat Bartscius, nihil posse objici Catholica invocationi Sanctorum, & adorationi atq; cultui Eucharistia, quod non aequè, sed frustra, potuisset objici Centurioni, cujus tamen fide tantopere Christus deprecavit: videlicet Centurionem utentem mediatoribus ad Christum, non fuisse idolatram, cum rogare intercessionem non sit ille cultus, qui Deo debetur, nec recessisse à Christo, sed potius convenientius accessisse, non intulisse Christo injuriam, sed potius honori fuisse Christo, per deprecatores tam honestos rogari, ut qui non Christi, sed suo loco reposuerit intercessores, cumq; Sancti iam sint in longè meliori & cœlesti conditione, ut tamen maxime aberret nunc invocantium devotio delata ad intercessores vel minus gra. os Deo, vel non audientes nos, vel non subieciantes suis deprecationibus, huiusmodi errorem fraudi esse non posse, cum ne Centurioni fraudi fuerit, quod miseris Judæis, existimans, se longè acceptiores fore, cum ipse longè gratior esset, pag. 304. 306. 309. 409. Deniq; si vos absq; idolatriam invocavit Centurio, & nos quotidie invocamus, ut pro nobis orent, ut in mortuis quidem dar. nabile esse.

XVIII.

Similiter, nihil contra cultum Eucharistia objici posse ait, quin idem deformasset etiam fidem Centurionis. Idem enim Christus nunc in Ecclesia & Eucharistia est. Adoravit etiam Centurio, non miseram speciem, sed quod non vidit oculis, quem admodum etiam in Eucharistia, nec species panis, sed Christus invisibilis adoratur. Si requiras speciale mandatum adoranda Eucharistia, tale etiam defuit Centurioni, quod Christus adorandus sit in platea, pag. 313. 314. 315. Imò plus factum non fuisse Centurionem, si Christus domum ejus ingressus fuisset, quem admodum in Eucharistia templum corporis nostri ingredi designatur, pag. 417.

XIX.

Hactenus quasi ex Catalogo volui nudè commemorare vitia Pontificiorum, quæ sibi ex fide leprosi & Centurionis desumunt, ut suæ fidei pulchritudinem concilient, & definitionem fidei in nostris Ecclesiis, ex verbo Dei extructam, supprimant: nunc de singulis pauca subicienda sunt, per quæ vanitas istorum postulatores fidelibus innotescere queat.

XX.

Quoad primum igitur, facile concedimus, fidem Centurionis, ut & leprosi, quæ magna fuit ex adnegatione fiduciæ, tamen ratione objecti & notitiæ adhuc tenellam, & quasi inchoatam fuisse, cui deinceps illustrior profectus accedere potuit & accessit, quemadmodum etiam in iisdem & diversis fidelibus, qui verâ & salvificâ fide præditi sunt, pro ratione ætatis, donorum & vocationum diversarum, diversi gradus, incrementa & decrementa sive notitiæ, sive fiduciæ respectu, locum habent: Neque quisquam tam bardus est, qui omnimodam æqualitatem fidei (quæ tamen una est in tota Ecclesia, *Eph. 4.*) in pueris circa annos discretionis, in adultis, in rusticis, & literatis, in exercitatis, præsertim per tentationes crucis, in studiosis & Doctõribus Theologiæ &c. requirat, *Heb. 6. vers. 1. 2. 1. Corinth. 1. v. 5. 6. Ephes. 4. v. 13. Matth. 18. vers. 26. Rom. 14. vers. 1.*

De fide im-
plicita.

XXI.

Diversitas illa graduum nil obstat, quò minùs placeas Deo, nec saluti officit, quia tantum in qualitate fidei hæret, non autem in instrumentalem variat: cum infirma, & tenella fides, tam Christum & promissiones Dei amplectatur, quàm major; sicut tremula manus idem munus offerre potest, quod firma, in quo omnis gratiæ & reconciliationis vis posita est.

XXII.

Certa & parata est salus & gratia Dei, dummodo vera illa fides, licet tenella, & circa initia hærens notitia, assensu & fiducia sua complectatur, quæ ad fundamentum doctrinæ Evangelicæ necessariò pertinent, nempe in Christo Filio Dei, propter ipsius satisfactionem gratis remissionem peccatorum offerri & conferri omnibus credentibus in illum: quod vel in unica horula, captivans rationem sub obedientiam verbi, ex dictis *Marc. 1. Joh. 3. Act. 4. & 10. & 13. Marci 16. Rom. 3. & similibus*, addiscere potest: etiamsi non omnia officia perfectioris fidei simul & semel expedire queat, necdum omnia objecta illorum ex sacris literis cognita habeat.

XXIII.

Neque dubium est, Centurionem & leprosum talem notitiam Christi, quantumvis obscuram habuisse, quamvis pro præsentis fides eorum potissimùm, & quasi unice, in praxi circa externa beneficia occupata, & ratione hujus officii, quæ specialissimè innitebatur omnipotentie & misericordie beneficentiæ Christi, Magna vocata fuerit: Sicut

maxima & planè heroica fuit fides Abrahæ. in specimine obedientiæ, & spe de restitutione Filii. Item: in expectatione prolis, *Rom. 4. v. 18. 19.* Piorum confessorum, in averfatione suillæ carnis, 2. *Maccab. 6. & 7.* aliis officiis non exclusis, quamvis tùm in actuali exercitio non verfantibus: imò ipsa notitiâ Messiæ futuri non perfectiùs, nisi pro modo umbrarum Veteris Testamenti, sese habent.

XXIV.

Nunc verò, quid hæc omnia cōmodant Papisticæ divisioni fidei, in implicitam & explicitam eo sensu, quo illi definiunt? *E. G. Implicita fides est talis actualis assensus, qua credis, canonem Bibliorum esse verum, omne contentum in sacra scriptura esse verum: De quali fide Occam scribit: Fides implicita, quâ fidelis credit. QVICQVID ECCLESIA credit, utilissima est fideli: nam si fuerit in corde, defendit ab omni hæretica pravitate (De Sacram. cap. 1.)*

XXV.

Carbonariam vulgò vocamus fidem, eò quòd talis (credo quod Ecclesia credit) ceu optima in rudissimo quodam Carbonario commendata fuit: liceat etiam *mercatoriam* vocare, autoritate Gregorii de Valentia, qui in *Analyfi de Ecclesia*, pag. 205 laudat Mercatorem Placentinum ita ratioeinantem: *Mecum sic statuo, velle me Pontificiam potius, quam Lutheranam religionem amplecti, ob id imprimis, quia illic compendio quodam discere possum veritatem, videlicet, si ajo, quod ait Pontifex, nego quod negat Pontifex: Rursum ait ille, annuo & ego. Hic verò si Lutheranus fieri vellem, Catechismus mihi discendus, & scriptura scrutanda esset, quod equidem facere non possum, cum potius Italica naves mihi observanda, & transmarina mercas mihi investiganda sint.* Et addit Valentianus, pag. 207. *DEUM MIHIL OMNINO HABITURUM, quod intremendo illo iudicio ei opponere possit.* (Sic allegat Gerhard. *Locor. Tom. 3. pag. 1296. & Meisa. in Antileffio, pag. 52.*)

XXVI.

Nihil addo: Cæcutiens videre possit, si Leprosi vel Centurionis fides ad hunc modum implicita fuisset, nunquam illos ad Christum venturos fuisse, cum summus Sacerdos & tota Ecclesia Judaica clamaret, *CHRISTUM* non adeundum, sed ut seductorem fugiendum esse.

XXVII.

Præterea, quid lucratur inde Bartscius à Centurionis exemplo pro

pro implicita fide Romanensium, qui ipsemet negat, *hac aetate sufficere, si quis ea sola explicitè credat, qua Centurio credidit?* (Tom. 2. pag. 386. 387.)

XXVIII.

Ex his, quæ dicta sunt, facilius est responsio ad alterum illud, quod Jesuitæ ex fide Centurionis eliciunt, videlicet objectum fidei justificantis (de historica enim & miraculosa nunc non agitur, sed de fide Christianorum & filiorum Dei, quæ talium propria) non esse solam promissionem de gratuita remissione peccatorum ac salute in CHRISTO, sed omne verbum DEI, omnia, quæ Deus credenda manifestavit.

XXX.

Dicimus enim, iniquissimè opponi, quæ subordinata sunt: cumque vera fides simul sit noticia, assensus & firma fiducia (quod in præfenti ceu alibi demonstratū, ne *innegatos* fiat *ignavia*, assumimus: quamvis primum illud de noticia non satis integrè Bellarm. lib. 1. de justific. c. 7. tertium verò de fiducia, nulli Pontificii admittant (unde etiam illa, in exercitio, diversa officia (non illud unicū justificandi, à quo *non igno* *lab* justificans vocatur) exequitur: Concedimus ratione notitiæ & assensus, fidei objectum esse universum verbum Dei in scripturis comprehensum, in quo ipso tamen complexu distincti gradus sunt, Articulorum fidei fundamentalium, minis principalium, & aliorum credendorum, quæ non directè sed certo ordine & reductione quadam, ad fidei articulos spectant.

XXXI.

Concedimus etiam ratione fiduciæ omnes promissiones Dei gratuitas de bonis tam corporalibus, quam spiritualibus objectum fidei esse, *Heb. 11.* Eatenus autem, quæ justificat, proprium & adæquatum objectum, aliud non agnoscit fides, quam Cardinalem illam totius scripturæ promissionem de Christo Mediatore, *Rom. 3. vers. 24.* *Actor. 10. v. 43.* *Johan. 3. v. 18.*

XXXII.

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius est, nostras Ecclesias fidei objectum non statuere angustius, quàm Pontificii, videlicet omnia credenda (hoc solo excepto, quòd illi credendis immiscet etiam traditiones humanas, sub titulo verbi divini non scripti) nihilominus autem, ex immotis fundamentis scripturarum, fidei distinctas

2.
De objecto s. q. 5.
fidei justificantis

of. s. 1. Math. p. 135

quasi facultates & officia, ad objectum illud vel totum, vel ex parte diversimodè, principaliter vel minùs principaliter, explicare.

XXXII.

Quæ omnia cum invicem subordinata, non sibi contraria sint, prorsus non sequitur, à positione unius, vel officii, vel objecti, negari aliud. Ideoq; non valet: fidei in Centurione, pro actu illo, in quo pro tempore versabatur, objectum fuit Omnipotentia & misericordia Christi, Ergò fidei ipsius objectum prorsus non fuit specialis promissio de justitia & salute in solo hoc Jesu Nazareno adipiscenda. Davidis fides in Psal: 5. 1. objecti loco habuit misericordiam Dei & promissionem de remissione peccatorum, Ergò istius objectum non fuit promissio de præsidio regni sui, aut similis alia.

XXXIII.

Sicut non sequitur, Animæ hominis, pro præsentis videntis, objectum est visibile, Ergò objectum ejus non sunt ratiocinabilia & sensibilia alia: videlicet ex eodem fundamento, quia anima illa diversas facultates & officia, ideoq; eorundem respectu diversa objecta habet, atq; nihilominus *non* *est* anima rationalis vocatur, licet nõ semper in officio seu actu ratiocinandi, sed etiam in aliis versetur.

XXXIV.

Quando autem hypothesin illam fingunt Papistæ, *sepe nitentes misericordia non sunt salvati, & contra non fidentes justificati*: pro sua temeritate faciunt, contra Psalm. 27. & 31. Sir. 2. quis unquam Deo confidens pudefactus est?

XXXV.

Tertium confectarium, quòd Centurio sine omni hæsitacione plenissima plerophoria crediderit, ambabus manibus amplecteremur, ad retundendam opinionem, de dubitatione & incertitudine: nisi tantum de assensu, exclusa omni fiducia, thesin suam acceptam vellent.

XXXVI.

Solo autem huiusmodi certo assensu credidisse vel leprosum, vel Centurionem, videlicet Christum omnipotentem & misericordem esse, prorsus inficiamur: Talis enim assensus ipsos ad Christum non impulisset, nisi firma & indubitata fiducia ipsorum corda replevisset, qua persuasissimi erant, Sibi etiam Christum omnipotentem & misericordem adiutorem fore. Unde autem illa verba, Si Vis, manarint, mox circa quintum membrum dicitur.

XXXVII.

De indubitata fiducia fidei.

de optimo & certissimo auxilio Dei; sed agnoscimus nostram infirmitatem, qui nescimus, quid nobis utile sit, profitemurque debitam humilitatem, qui tales res sapientissimo consilio & paternæ bonitati Dei plenè committere debemus, nulla etiam promissione alia invitati nisi quæ divino arbitrio omnes circumstantias, modum, tempus, & similia reservat: Interim secundum hanc promissionem sine omni hæsitacione certissimi, quòd omninò auxilium Deus præstiturus sit tale; quod petimus, nempe quod ad suam gloriam & nostram utilitatem cedere potest.

XLII.

In sexto porifinare haud scio, an cæci potiùs, quàm malitiosi sint Pontificii. An non satis & verè præscriptum est, quòd in genere extat, etiãtisi singulæ accommodaciones in specie & individuo, aut secundum circumstantias particulares, non legantur? Genus: Diliges Deum, non furtum facies, ideò proponitur, ut omnibus momentis omnes homines sibi dictum putent. Atque sic illud quoque: Hic est Filius meus, hunc audite, *Matth. 3.* Item: Deum tñm adorabis, *Deuteron. 6.* Centurionem & leprosum quoque ex necessitate mandati constringebat.

XLIII.

Illæ ipsæ promissiones de auxilio Dei in morbis, *Psal. 41.* & aliis periculis, *Psal. 91.* unicuique sunt satis particulares & appropriatæ, quando ipse firma fiducia sibi (cum reservatione tamen voluntatis Dei in corporalib.) applicat: planè, ut in spiritualibus: Ego credo, Ergò vitam æternam habeo. *Johan. 3.* Ego ero in nomine Jesu Christi, Ergò Exaudiar, *Johan. 16.*

XLIV.

Sic quod præceperat Deus in plurali: Quærite faciem meam, Omnipotens sum: Davidi erat dictum in particulari, *Psal. 27. v. 8. Ps. 62. v. 12. 13.* Sed quid pluribus opus in re tam manifesta.

XLV.

Aut si contra isthæc adhuc inussat Bartschius, dico illum ex cæca & stolidâ præsumptione sperare gratiam Dei, quia nullibi nec in verbo scripto, nec in Ecclesiæ traditionibus omnibus extat, Bartschium esse à Christo redemptum, Bartschium debere credere in Christum: Unde nec fidem Catholicam in solo assensu credendorum positam concipere potest.

6.
Fides leprosi
& Centurionis non
caruit ver-
bo.

XL XVI.

Septimum confectarium laborat mera petitione principii. Ap-
 probavit quidem & laudavit Christus fidem Centurionis, unà cum
 ejusdem fructibus, sed neque propter fidem aut fructus ejus, ipsi gra-
 tiam & beneficium contulit, sed propter misericordiam suam, ut de
 DEO universum Psalterium docet, de Christo autem nominatim
 locus, *Matth. 9. vers. 13.*

7.
 Non per se
 placet fides.

XLVII.

De proprio enim loquitur Jesuita, non de nostro, quando nobis
 tribuit, quod nostra fides propter relationem placeat Deo & justificet. Non
 debebat confundere diversissima hæc: Fides, non ut qualitas, sed quæ
 relativè sese habet ad gratuitam promissionem in Christo Jesu sive ad
 Christum, eundem firmiter complexa, justificat: Et illud alterum: Fi-
 des propter hanc relationem justificat. Nam neq; relativè considerata
 fides propter relationem, sed propter relatum, quo nititur, justificat:
 plane, ut instrumentum non propter apprehensionem, sed propter
 gemmam apprehensam preciosum est.

XLVIII.

Octavum confectarium prorsus recidit ad communem quæstio-
 nem, An liceat defunctos sanctos invocare, quia à vivis Christianis
 intercessionem rogare, seu, ut Bartschius loquitur, vivos invocare sole-
 mus & debemus. Verùm secundum stylum Bartschii tam antecedens
 quàm consequentiam negamus.

8.
 An vere fi-
 dei sit sanctis
 mediatorib.
 ad Christum
 uti?

XLIX.

Nuspian etiam in scriptura vocabulum invocandi usurpatur,
 ubi de mutua precum intercessione inter Christianos sermo est, 2.
*Thessalon. 3. vers. 1. Coloss. 4. vers. 3. Ephes. 6. vers. 19. 2. Thessalon. 5. vers. 25.
 Roman. 15. vers. 30.* sed per charitatem spiritus rogat Paulus, monet &
 hortatur.

L.

Aut si maximè in generali significatione admittamus vocabu-
 lum, den Nächsten in der noth anschreiben vnd anruffen / tamen adhuc
 consequentia laborat crasso elencho parium. Mutua nostra rogatio
 tantum expetit officium charitatis: vult idem à proximis vel ab Ec-
 clesia conjunctim fieri, quod nos facimus, neque ideò instituitur,
 quasi nobis non liceat immediatè Deum accedere, aut quasi alii no-
 bis aditum patefacere debeant; quando quidem simul ipsi rogamus,
 & aliorum preces nostris conjunctas volumus: Catholica autem in-

DECADIS II. DISPUTATIO II.

vocatio ad Sanctos directa, nititur meritis & suffragiis Eorū ad Deum, sedque suppliciter & fiducialiter: quā ratione per idolatriam Sanctis tribuitur, quod solius Christi est, nempe mediatio & intercessio ad Deum, *1. Tim. 2. Rom. 8. Job. 16.* Annōn hęc est injuria?

L I.

Atq; hoc tantū sensu affirmamus, neminem pro alio neque in hoc, neque in futuro seculo orare posse: licet Embserus audacter hic annotet: *Mercke / daß die Keger liegen / daß keiner für den andern bitten könne / (In glossa Nov. Testam.)*

L II.

Leprosus in Evangelio, nullis intercessoribus usus, felicissimè exoravit Christum: Et quemadmodum in scripturis nullum mandatum, nullum exemplum invocationis Sanctorum extat: Ita historia nostra nullo indicio declarat, propter intercessionem Judæorum tam beneficū fuisse Christum erga Centurionem: unde tantò vanior est imaginatio Jesuitæ, quasi etiam per intercessores Christo minus gratus, tamen intentio nostrā humilitatis (non immediate provolans, sed quasi eminus accedens) ipsi acceptissima futura sit. Sic enim expirat omnis respectus intercessionis, aut si ipsa causa nostra etiam intercessorem, ex se ineptum, acceptum reddere potest, cur non oratio nostra se sola magis accepta sit, juxta illud: propter quod unumquodque tale, illud magis est tale.

L III.

Quoad nomen & ultimum, quia hactenus aliquoties, licet breviter, contra adorationem Eucharistiæ Pontificiæ dictum est, nunc hoc tantū urgeo: Quamdiu Eucharistia non est objectum verum adorationis, tandiu deferre illi citra impietatem non licet, quod CHRISTO, tanquam proprio & immediato objecto divinæ adorationis Centurio rectè præstitit. Nam falsum est, quod Jesuitæ tanquam verum assumunt, *Tantum CHRISTUM cum sacris speciebus esse sacramentaliter unitum*: Panis in ipso Sacramento adhuc est mera creatura: præterea extra sacramenti actionem à Christo institutam, proprius nulla unio restat.

L IV.

Quin Christum & Patrem, ejus cœlestem in unitate Spiritus S. etiam in plateis adoremus, nemo prohibet, dummodo in spiritu & veritate faciamus, *Job. 4. 1. Timoth. 2.* Interim, ubi etiam de vero adorationis objecto rectè constat, de theatrica pompa, de tintinnabulis Papistæ

9.
§. 4. An vera sit
dei, sit adora-
re Eucha-
ristiam?

Papisticis usuratis aliter judicare haud possumus, quam Christus de Pharisæis in plateis stantibus, *Math. 6. v. 8.*

LV.

Notoria igitur est dissimilitudo inter fidem Centurionis & Romanam Catholicam: nostræ autem fidei, tam Leprosi, quam Centurionis fides similima. imò ratione essentia & definitionis eadem est: quia uterq; notitiam habuit omnipotentia & misericordia Christi, istam indubitato assensu probavit, & quod præcipuum, firmissima fiducia sibi appropriavit: utcunque pro tempore in actu justificationis ad æternam salutem fortè non fuerit versata.

LVI.

Quando autem Costerus, quasi auctarii loco adjicit, *Centurionem hunc nec Judæum fuisse, nec Christianum, sed infidelem, & tamen fecisse bona, ut discamus, etiam infidelium opera disponero ad gratiam.* (In Conc. pag. 356.) Principium petit. Interim nos stamus regula, Rom. 14. vers. ult. *Quicquid non est ex fide, peccatum est. Nulla prorsus opera disponunt ad gratiam, sed dispositio univèrsa solus misericordia cœlestis est, Philip. 2. vers. 13.*

LVII.

Controversiam de fide excipit alia de Confessionetali, quæ cum plena & exquisita enumeratione peccatorum; coram Confessario, tanquam coram iudice ordinario edenda sit, ut ille per judicariam sententiam tum satisfactiones, tum absolutionem confitenti decernat.

LVIII.

Ad hanc enim accommodant Pontificii missionem leprosi ad sacerdotem: Bellarminus quidem mediculosè scilicet ipse animadvertens nullitatem consequentia: *Nos, inquit, non dicimus, leprosos missos ad Sacerdotes, ut peccata confiterentur, sed ex figura, cum Chrysostomo & Hieronymo dicimus argumentum. Ut enim in lege Veteri cognitio lepræ corporalis, ita in Novo cognitio spiritualis lepræ ad sacerdotes pertinet.* (De poenit. lib. 3. c. 3.) Costerus ait: *Cum leprosi a sacerdotibus inspicerentur atque examinarentur, toti comparere debebant sine ullo velamine Nudi, ne quid usquam lepræ oculos lateret. Fuit hæc sacramenti confessionis figura, in qua coram sacerdote totam denudare debemus & retegere conscientiam, si medellam consequi per ipsam cupiamus: ac quo confessio est apertior, eò est & utilior.* (In Conc. pag. 349.) Stapletonus explicatiùs evolvit typum, atque illud in specie arguet, eo ipso constare, lepram esse typum peccati, quia

10.
*An infidelium
opera dispo-
nant ad gra-
tiam?*

11.
*De confessio-
ne omnium
peccatorum in
specie,*

Christus tantum leprosus, alios autem à se sanatos non misit ad Sacerdotes, (vide Cathol. prompt.)

LIX.

Bartscius, ut ferè in omnibus, ita hic quoque oculatior, non tantum typum urget, sed observat, novo quasi calcido, in particulari confessionis sacramentum à Christo per hanc missionem esse approbatum & confirmatum (vid. Tom. 2. pag. 420. 421.)

LX.

Demolitionem horum omnium breviter sic instituímus, ¹ Ab allegoriis nullum firmum argumentum per se duci potest, nisi res ipsa & accommodatio aliunde per scripturam sit stabilita. ² Causa missionis ad Sacerdotes vera per se plena est, ut non opus sit alias fingere, quas Evangelista ignorant. ³ Præsertim talem, quæ Evangelio intolerabilis est: Confessio enim Pontificia destituitur omni fundamento & exemplis in praxi & doctrina Christi, Johannis Baptistæ & Apostolorum, qui optimi concionatores poenitentiae fuerunt, prorsus autem indigna est sacrosancta Sacramenti appellatione: Inutilis est & pariter nocentissima, commutans Evangelium in legem, & cisternam consolationis in carnificinam tortoris; secreta cum scandalo extorquens, juxta quaestiones in summis casuum conscientiae propositas: imò impossibilis est, *Psal. 19. vers. 13. Johan. 9. vers. 28.* Quamvis enim verbotenus tantum possibilem videamus urgere, tamen alia nimis rigidi sunt exactores, & semper fulminat regula: tantò imperfectiorem esse confessionem, poenitentiam & absolutionem, quo imperfectior est enumeratio. ⁴ Præterea falsum est, potestate clavium contineri judicarium tribunal. Sed quid laboramus hoc loco circa turpitudinem istius confessionis revelandam, cum consequentia à leproso ducta nulla appareat, cujus examen solum, hoc quidem in loco, sedem habet?

LXI.

Embserus hic non solum sollicitus est pro Confessariorum suorum judiciaria dignitate, de qua haectenus dictum, sed etiam vellicat versionem Lutheri, propter verba über sie. Luther (ait) zum Zeugniß über Sie / vñnd deuters am Nandt wider die Priester / da es doch alle Christliche Lehrer für die Priester gedeuret haben.

LXII.

Respondetur: Non omnes interpretes Mi Embseri: sed multorum sententia est, Christum voluisse hac sui miraculi ostensione testimonio-

12.
De verbis
über sie.

Testimonium in ipsis conscientis Sacerdotū excitare. quo essent inexcusabiles: Testem exceptione majorem, Anton: de Gislandis, hæreticæ pravitatis olim Inquisitorem, produco, qui hanc quæstionem ita decidit: *Dubitatur, cur præcipit Dominus, ut offerret munus in testimonium illis? Respond. Chrysost. super Mattheum, quod non est intelligendum, quod Moses præcepit in testimonium illis: sed vade tu in testimonium illis. Et idem Chrysost. in Hæres. dicit, quod pervidens Christus, eos ex hoc nihil perfecturos: non dixit in emendationem eorum: sed in testimonium, id est, in accusationem & attestationem: quoniam à me erant fienda, omnia facta sunt, &c. (dub. 24.)* Nunc incumbit contradicenti sufficiens demonstratio, cur verba, in testimonium Ipsiis, non liceat conjugere cum mandato Christi, abi & ostende te. ² Certè Levitica lex non Sacerdotibus, sed leprosis de testimonio prospiciebat.

L XIII.

Quid verò ad illud dicendum, quando Bartscius ex eadem missione ad Sacerdotem concludit, *Christum non longius extendere suam manum in operatione salutis, quam ubi ordinaria potestas Ecclesiæ: ea vero deficiente, deum extraordinarie succurrere* (Tom. 2. pag. 422.)

L XIV.

Si sanà mente intelligeret ordinaria media salutis, verbum & sacramenta, ministerium Ecclesiasticum in legitimo usu sine tergiversatione annueremus, certi, quòd fallantur omnes, qui mediis istis ordinariis sive per ignaviam, sive per contemptum posthabitis, sibi extraordinariam gratiam Dei, vel etiam Enthusiasticos tractus pollicentur, *Esaiæ 8. Rom. 1. Johannis 5. j. Timoth. 5. Hebræ. 13. Luca 10. 1. Corinth. 4. Johann. 20.*

L XV.

Verùm ille primò suam thesin expressè ministris Evangelicis opponit, in quibus *fraudes pestiferas vocat, dum nil nisi Christum & purum ejus Evangelium crepant in cœtibus suis, eoque remittunt omnes ad plenissimam salutem invenendam, sive in plena fidei agnitione, sive in perfecta peccatorum remissione: tandemque eò dirigit universam suam dissertationem, veram interpretationem scripturæ (ut & remissionem peccatorum) non aliunde, nisi ab ordinaria potestate Sacerdotii constituti, hoc est, à clericis Romanæ Ecclesiæ esse petendam.* Hæc igitur est fraus nostrorum Doctorum, quòd scripturam per scripturam interpretantur, & ut idem auditores per fidelem meditationem & collationem scripturarum faciant, monent, nihil morantes vel Papæ,

15.
An gratia
Christi or-
dinariæ suc-
cessioni alli-
gata?

vel Conciliorum, vel totius Romanæ Ecclesiæ dissensum, quando à verbo expressè recedit.

LXVI.

Ita autem Christum alligasse suam Ecclesiam ad ordinariam potestatem, falsissimum est, neque hac de causa Leprosus ad Sacerdotem missus est: Legem ex labiis Sacerdotis audire debet Ecclesia. *Malach. cap. 2. non in vanis propriam, 2. Petr. 1. vers. 20. Roman. 12. vers. 6. Esaiæ 8.* neque fermentum Pharisæicum unà cum doctrina Moïsi ex ordinaria potestate Ecclesiæ Judaicæ recipiendum fuit, *Matth. 16. & 23.* præterea ordinaria potestas, non ex successione locorum & personarum, sed veræ doctrinæ æstimanda est, *cum vera successio nequeat esse sine vera doctrina,* confitente ipso Stapletono in controvers. 1. de Eccles. qu. 4. art. 2. pag. 84.

LXVII.

14.
An omnia
clericorum vi-
tia diffini-
landa?

Propter eandem reverentiam à CHRISTO Sacerdoti à moribus & fide non bono, tamen propter officium exhibitam, declamitat Bartschius contra iniquitatem (ut interpretatur) *qua querelis ob vitia morum clerus Pontificius in gravem suspensionem & contemptum aditus est,* pag. 430. Sed accusat non solum Evangelicos, sed ipsos Pontificios, qui gravamina sua multoties exposuerunt, antequam quicquam de Luthero cogitari potuit, qui tamen excusantur per regulam Pauli, *1. Timoth. cap. 3. & 4.* Præterea non solum taxantur vitia morum, quæ interdum in Pastorem orthodoxum cadere possunt, sed pessimi fructus doctrinæ malæ, ex quibus monitu CHRISTI de Prophetis cavendis judicandum est, *Matth. 7. Exempli gratia: Pornicatio & concubinitus fructus calibatus & similia, quibus recensendis nunc non immorandum.*

LXVIII.

17.
An propter
nostram co-
operationem
tarda sit no-
stra renova-
tio?

Cur verò STATIM leprosus & famulus Centurionis, ut & alii aegroti, quasi in momento sanati sunt à Christo, qui tamen in sananda anima nostræ tam brevis non est? Respondet Costerus per elenchum causæ: *Hic à nobis, qui ad eam rem CONCURRERE debemus, aliquando impeditur.* Et iterum: *Corpus sine nostra industria ornat, pulchritudinem, quantitatem, speciem per se tribuens, sed ad ornamenta animæ NOBIS cooperandum est: momento temporis, si solus ageret, sole radiantior em efficeret eam Deus: at quia nostra cooperatio requiritur, per nos retardatur, quò minus tam cito opus expediat, &c. (In Conc. pag. 343.)*

LXIX

Nos verò aliam & veram causam dicimus, quia DEO placuit, suam Ecclesiam paulatim à gloria ad gloriam reparare, 2. Cor. 3. v. ult. particulariter reservata perfectione ad diem restitutionis omnium, 2. Corinth. 13. vers. 9. 10. Actor. 3. vers. 21. 2. Cor. 5. vers. 7. idque ideò, ut per Iustam carnis & spiritus exerceamur in obedientia ipsius verbo debita, ut & in spe, patientia, charitate, & aliis fidei fructibus, Galat. 5. Romanor. 7. & 3.

LXX

Aliàs, qui ita successivè domat carnem nostram, posset etiam in momento compescere, exemplo latronis, si vellet. Cooperatio ad novitatē spiritualem, in homine regenerando (ut pote profus mortuo in peccatis, Ephes. 2.) nulla est: quæ verò in renatis est, adhuc solius gratiæ Spiritus sancti, non humanarum virium, tota est: in qua iterum, ut dixi, non potestas, sed voluntas ad momentaneam expurgationem deficit: Spiritus enim operatur, ubi vult, Job. 3. 1. Cor. 12. Interim non negamus, nostræ carnis culpā impedimenta varia obijci, non tantum, quò minus strenuè & tempestivè succedat regenerationis opus, sed etiam, ut nonnunquam in semel renatis res ad finalem defectionem exeat. Verum non ex insufficientiā aut imbecillitate gratiæ adversus potentiam carnis validiorem: sed inde, quia posthabito ductu spiritus carnem sequentes mediis salvificis non utuntur fideliter, per quæ Spiritus S. non autem secundum miraculosam suam potentiam, in regno gratiæ huius seculi agere solet & vult.

LXXI

Cur autem vos (dicat fortè Calvinianus) tantopere certatis pro obtinenda omnipræsentia Christi hominis, cum magna hæc fides Centurionis ei non opus esse doceat? Resp. Cur non ita argumentatur etiam contra omnipræsentiam Dei, quæ etiam simpliciter non opus est, nec eâ digni sumus? Ideò tuemur, quia promissa & solatii plenissima est, Matth. 18. Esu corporis Christi non erat opus simpliciter, Matth. 26. & in habitatione Spiritus sancti, 1. Cor. 3. Sed quibus Deus infirmitati nostræ consuluit, ea non negligamus.

LXXII

Ad argumentum Centurionis ab autoritate militaris disciplinæ ductum, annotat Emserus, descendum esse, humanam rationem & argumenta coram Deo non ita contemni, ut nunc ab hereticis (Evangelicos autem pungit) rejiciuntur (glossa in hunc locum) Luc. 7.)

LXXIII.

16.

An vera fides requirat omnipræsentiam Christi hominis?

17.

Quatenus divina sapientia humana ferat?

LXXIII.

Ut avertamus à nobis hoc telum ad alios, qui fortè nimis injurii sunt in usum Philosophiæ, præsertim Logica, etiam sanum, meliorem & optimum: Dicimus, nos & probare, & in scholis nostris docere & discere sanam Philosophiam, tum ob alias multiplices utilitates in communi vita, tum etiam, ut famuletur studiis sacris, neque tamen oblietetur, quando ratio & rationis argumenta per expressum verbum, licet absurda & incomprehensibilia dicuntur, captivari debent, 2. Cor. 10. Coloss. 2. Igitur tantum illam rationem & argumenta rationis damnamus, quæ audent subjugare oracula verbi divini, juxta 1. Cor. 1. v. 23. cap. 2. vers. 14. Roman. 8. vers. 7. quæ que hodie nimis apud Calvinianos & Jesuitas dominantur.

LXXIV.

18.
An multitu-
do sit nota
Ecclesiæ ve-
re?

In dulcissimam concionem Christi, vers. 11. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & discumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno caelorum*, triplici corruptelâ incurrit Bartschius. Primo inde conatur extorquere spuriam suam notam veræ Ecclesiæ, à multitudine & frequentia desumptam, quia multos hîc Dominus fore prædicit, quibus felicissima fors regni ex omnibus partibus orbis est obventura (pag 446. Tom. 2.)

LXXV.

Nos verò scimus, multitudinem etiam esse errantium, *Matth. 7.* sed multitudinem non parere patrociniū errori. ² Si multitudine pugnandum, de ea etiam Turcæ, Judæi, & alii infideles gloriari possunt. ³ Nos tum exemplo Ecclesiæ CHRISTI, tum dictis ejusdem edocti novimus, paucos esse, qui rectâ semitâ incedunt, *Matthæi 7. & 22. Luc. 12.*

LXXVI.

19.
An ad no-
strâ religio-
nem multi
venerint?

Deinde contendit, hoc vaticinium in Ecclesiâ Catholica tantum esse impletum, non verò in ea, quæ Evangelicorum est, quia per Catholicos, non per Evangelicos ministros adhuc dum in America & in aliis exoticis regionibus infidelium multi ad Christi agnitionem convertuntur: Unde dubium nullum est. Catholicam Ecclesiam esse illam, cujus membrum Abraham & Isaac in regno caelorum discumbent. (vide Tom. 2. pag. 451.)

LXXVII.

Hîc primò non simpliciter negamus, per Catholicos interdum quosdam ad Christum adduci, non quâ tales, sed quia baptismum verum

verum administrant, & interdum ipsam scripturam prædicant, quam famelicæ istæ animæ apprehendunt, neglectis stipulis Romanensibus 1. Cor. 3. quemadmodum & superioribus seculis, sub Cimmeriis tenebris Antichristiani regni, iisdem mediis factum est.

LXXVIII.

Alterum verò prorsus negamus, quod per religionem, quam Lutherani profitentur, talis gentium collectio facta non sit. Facta enim est, ¹ olim per Apostolos, quorum doctrinam olim inter gentes promulgatam, nos adhuc profitemur, ² Fit adhuc, quando interdum Judæi nostræ Ecclesiæ aggregantur, ut & in quibusdam locis Septentrionalibus (referente Philip. Nicol. de regno Christi, lib. 1. cap. 1.) Quod autem tale quid in vera Ecclesia semper fieri debeat, idè negamus, quia ¹ hujus vaticinii impletio dudum facta est, etiam tempore Apostolorum, Coloss. 1. v. 6. & 23. Psal. 19. ² Siq; ex hypothefi, Catholica Ecclesia totum mundum subjugaret, ex necessitate fieri post factum cessaret, ³ potissimum autem nota ultimorum temporum hæc est, futuram esse sub regno Antichristi gentium non aggregationem, sed defectionem numerosam, Apocal. 18.

LXXIX.

Tertio, illum adventum multorum ab Oriente & Occidente ad societatem Abrahæ, ita accipit, quasi beatis illis patribus & omnibus Sanctorum Veteris Testamenti animabus in limbo quodam extra beatitudinem caelestem habendum fuerit tamen, donec per Christi & Apostolorum conaciones regnum appropinquaret primo, deinde etiam per Ascensionem Christi referatum fuerit, quando captivitatem captivam duxit. Abutitur autem ad hanc glossam textu, Hebr. 11. ubi sancti dicuntur expectasse civitatem caelestem, & à longè salutasse & c. (pag. 412.

20.
An Patres
Ve. Testam.
fuerint in
limbo, usque
ad Christi
Ascensione?

LXXX.

Simul etiam illud iterum implicat, de quo supra dictum, idè Sanctos in caelis sua intercessione plurimum valere, quia jam recumbunt in ipso regno caelorum, sine omnibus laborib; & difficultatibus aliis, pag. 414.

LXXXI.

Hoc misso, ad prius illud dicimus, eminus viderunt Patres regnum Christi, dum viverent, per fidem apprehendentes Messiam adhuc venturum, & in plenitudine temporis mittendum, Job. 8. & tamen per mortem statim ingressi sunt in regnum caelorum, non in aliquam captivitatem vel limbum, de quo in univèrsa scriptura nulla fit mentio, Psal. 31. Eccles. 12. Sap. 3.

LXXXII.

Si fideles in Novo Testamento non habent limbum, neq; Patres Veteris Testam. habuerunt: quia saluamur, quemadmodum illi, Act. 15. v. 11. Item: Quicumq; audiunt verba Christi, & credunt in eum, habent vitam æternam, non veniunt in iudicium, sed transeunt à morte in vitam, Joh. 5. v. 24. Abraham & reliqui Patres ita audierunt & crediderunt, Johan. 8. v. 56. Ergò, &c.

LXXXIII.

Sicut autem non sequitur: Pii, qui jam moriuntur, discumbent cum Abraham. Ergò, Abraham jam demum ingreditur in sedem beatorum, antehac exclusus: Ita neq; ex nostro textu licet inferre, Venient multi ab Oriente, & discumbent cum Abraham, Ergò, tum demum discumbere cœpit Abraham. Potius iste cum Patribus beatis omnibus, inde à felici exitu ejus ex hac vita discubuit in cœlis: Successivè autem deinceps usque ad finem mundi ipsi, in his quidem terris per eandem fidem, post mortem autem per eandem beatitudinem aggregantur fideles omnes, diversis temporibus.

LXXXIV.

Occasione locutionis Christi: *Ut credidisti, fiat tibi*, ad animum redit superstitionis nimis vulgata inter homines, quæ cum profanissima corruptela horum verborum conjuncta est, quando nimirum morbos à jumentis & hominibus, conceptis verbis & characteribus certis, depellere, flammam nocentes ab ædibus, lupos à gregibus arcere, audent, hac tamen lege (qua etiam multi decipiuntur) si fides adhibeatur voci incantatrici, benedictionibus, signis, præstigiis, &c. non raro etiam expressè prætexentes hoc, quod sæpius in Evangelica historia repetitur, *fides tua te salvum fecit* (referente etiam Nahum, in Conc. pag. 154.)

LXXXV.

Quasi verò fides sit qualiscunq; imaginatio & persuasio animi! Fides politica non est, sed levitas, quando quis absq; sufficienti probatione & certitudine quodvis credit, Sir. 19. v. 4. Fides Christiana non est, etiam si aliquot Conciliorum & Angelorum autoritate nitatur, Gal. 1. sed tantum illa, quæ objecti & fundamenti loco habet verbum Dei, Rom. 10. v. 17. 2. Petr. 1. v. 20. Eph. 2. v. 20. Quali verbo quia istiusmodi superstitiones non probantur, sed impugnantur, quomodo fides certa de iis locum habebit?

27.
De fide seu
credulitate
superstitionis.

LXXXVI.

Quod enim jactant, se verbis sacris uti, omnesque benedictiones in nomine sacrosanctæ Trinitatis enunciare, in eo malitiosus abusus, non pius usus est verbi divini, quali etiam omnes hæretici & Diabolus ipse, *Matth. 4.* suas seductiones excusare possent: Sed de hoc plura in seq. Dominica.

LXXXVII.

Sequuntur aliquot Elenchi.

Nunc, ut post tot plagas sibi illatas textus Evangelii etiam per reactionem quandam (ut Philosophi vocant) suam soliditatem vindicet: Opponimus Arianis & Photinianis indubitatum hoc *verbum* divinæ majestatis in CHRISTO, à cultu adorationis, qui solius veri & æterni DEI proprius est, *Matthæi cap. 4.* Hic autem non politicè, sed ex fide, *vers. 10.* & quidem pro impetrando auxilio, quod solius DEI est, CHRISTO præstatur, cum magna ipsius approbatione (*Alb. Gravv. in Hebr. pag. 74.*) à potentia confessione, quod possit CHRISTUS, quicquid velit, *vers. 2.* quod ipsius nutui omnia parare cogantur, *vers. 8. 9.* quod simplex seu absolutum sit ejus imperium, à nullo alio dependens, nec à quopiam impeditum, si vel verbum loquatur: Quod sit vitæ & mortis Dominus: Quæ potentia est ipsissima divina omnipotentia, solius DEI propria, *Jeremie cap. 32. vers. 17. 1. Samuel. 2. vers. 6. Exod. 15. vers. 3.* adeò, ut in ea differentia, inter verum DEUM & fictitios gentilium Divos statuatur, *Psalms. 115. vers. 3. 135. vers. 6.*

LXXXVIII.

Idè etiam Athanasius contra hypothesin Arii, quod Christus in carne non sit adorandus, præter hæmorrhousæ & cæci à nativitate exempla, in primis hujus leprosi devotionem urget, qui Dominum in corpore adoravit (In Orat. 5. contra Arium) ibidem hanc regulam proponens, & simul gravissimum damnum hujus incredulitatis demonstrans: *Qui verbum carnem factum adorare nolunt, ingratos sese exhibent ejus humanitatis: Qui vero Verbum à sua humanitate distrabunt, nullam omnino redemptionem peccati aut mortis vastationem existimant. Et ubi quæsi tandem nefarii seorsim per se invenerunt illam carnem, quam Salvator noster Jesus Christus assumpsit: ut audeant dicere, non adoramus Dominum cum carne, sed distinguimus corpus, illiq. soli cultum inferimus?* (*Cent. Magdeb. 4. col. 350.*)

22.
Christus est
Verus Deus.

23.
Christus etiam
iam quæ ho-
mo adoran-
dus.

LXXXIX.

Idem igitur nunc etiam dictum volumus Calvinianis præsertim illis, qui cum Antesignano suo Danæo maledictionem fulminant adversus adoratores Christi, quâ HONINIS.

XC.

24.
Humanitas
Christi rea-
liter parti-
cipat idio-
mata divi-
na.

Præsertim, cum potissimum suum fundamentum (videlicet negationem realiter communicatæ majestatis divinæ) hac ipsa historia everti videant, quando Christus *actu & humana sua manus impositione leprosum sanavit*: eâ ipsa ratione ostendens, se ut FACTUM Dominum, DATAM divinam potentiam, hoc est, quâ hominem, exercere, *Actor. 2. Psalm. 8. Matth. 11. & 28.* & se habere carnem verè vivificam, quæ deinceps etiam pro vita mundi in mortem danda erat, *Johan. 6. v. 51. 53. 54.* & sanguinem emundantè omnia peccata, *1. Joh. 1.* equidem non ex se & subjectiva humanæ carnis virtute, sed ex communicata *Ἐ λόγῳ* vivifica omnipotentia, per quam etiam Dominus gloriæ & princeps vitæ fuit, cum crucifigeretur, *1. Cor. 2. Act. 2.*

XCI.

Satiùs igitur foret, si tandem seriò respicerent hujusmodi opugnatores majestatis Christi hominis (in qua omnis nostra salus & consolatio reposita est, ne evanidum & vile reddamus ipsimet nostræ redemptionis precium, *1. Cor. 6. 1. Petr. 1.*) quàm si pergant negare cum Herbornensibus, carnem Christi esse vivificam, aut cum Danæo affirmare, *ad opera divina vivificationis, sanationis &c. carnem Christi non plus contulisse, quàm cave Apostolorum, aut virga Moysis ad edita ab illis miracula, contulit* (Gies Disp. Tom. 1. pag. 367.)

XCII.

25.
De absoluta
omnipotentia
Dei.

Sed & ipsius Dei, seu Salvatoris nostri, quâ Dei filii, omnipotentiam meliùs discant, ab hoc leproso & Centurione nimirum profusè absolutè, sine omni restrictione, quocunque respectu fingatur, Deum omnia posse, dum modo velit. Desinant igitur impossibilia proclamare multa, quæ in nostra ratione, aut in Philosophia contradictionem implicant: quia Deus jam dudum omnipotentia suæ speciminibus demonstravit, quàm sublimiter omnes hujusmodi contradictiones transcendat, *E. G. quando ignis ussit & non ussit, Daniel. 3. &c.* (vide Examen Wirtenb. contra Heidelb. cap. 1.)

XCIII.

26. Christia-
nis licet mi-
litare & ma-
gistratū ge-
rere.

Diligenter observetur, quòd Christus Centurionem militum, & simul ex mandato Imperatoris Romani politici Magistratus provin-
ciam

ciam in Capernaum sustinentem, clementissimè suscepit, neque tamen à pristina sua statione decedere iussit, nihilominus magnificè prædicata istius insigni fide.

XCIV.

Erravit igitur Concilium Nicænum, amathematismum decernens illis, qui post baptismum militiam seè. videntur (stattdche aufführung wider das Concil. Trident. fol. 31.) Frustra etiam disputarunt Anabaptistæ in Colloquio Franckenthal. Actione 24. q. 16. *Magistratum esse quidem ordinationem Dei, sed non desere fideles, quia in Novo Testamento nemo Christianorum eundem gesserit.* Opponitur enim hoc exemplum. Matth. 8. & Cornelii, Act. 10. Reguli, Joh. 4. Sergii, Act. 13. Et sic de militibus, Luc. 3. vers. 14.

XCV.

Instant quidem dicto loco q. 18. & 21. *Centurionem habuisse tantum fidem de sanando puero, non veram & Christianam.* Reclamat autem Christus, qui perfectissimam ipsius fidem laudat, qualem in Israel nondum invenerit, cum tamen quàm plurimi crederent verè à Christo miracula sanationum edi.

XCVI.

Jesuita Costerus hoc loco tam liberalis est erga milites, ut (in excessu peccans) eis *statum meritorium, & in acie occumbentibus proximum à martyribus locum assignat, affirmans, nonnunquam fieri, ut immediate in caelos abeant.* Cum tamen aliàs immunitatem à purgatorio religiosi vix sibi polliceantur. Nos verò jubemus Papistas non tantum meriti vocem expungere, sed etiam recordari, quomodo hæc conveniant cum illa censurà, quia omnes alios *status externos, omnes etiam externos labores præ religiosa Monachorum perfectione ferè pro nihilo habent.*

XCVII.

Practicus est error, sed in novissimis hisce temporibus admodum violentus, multas myriades hominum in securam morum dissolutionem, tandem in æternam perditionem abripiens: quo vulgo persuasum est, *nec in militia, nec in Aula Principum honestam disciplinam strictè vel imperari, vel obtineri posse & debere.*

XCVIII.

Posse autem institui, & *seu* obtineri, ex regula nostri Centurionis planum est, qui potuit in ordinem redigere milites sibi subiectos. Secundum ipsius vestigia iusta severitas & gravitas, non tam in

27.
An militum
status sit me-
ritorius?

28.
An in mili-
tia & Aula
stricta disci-
plina locum
habeat?

*in Zepher. ve
auf. neb. d. 5. et
nach p. 37
H. 1. 1. 1. 1. 1.
83. p. 300*

aliis minutioribus rebus, quàm in custodienda prima tabula legis divinæ, in vindicanda gloria DEI, & timore Altissimi, adhibeatur: secus quàm vulgò fieri solet, ubi ad scelera nonnunquam scientes & volentes connivemus, dummodo propriam gloriam, nostram reverentiam, aut aliquod aliud servitium & lucellum externum lucrati valeamus.

XCIX.

29.
Abrahã fuit
salvatus, cõ-
tra Marcio-
nem.

Testimonio Christi de discubitu Abrahæ cum Isaac & Jacobo in regno cœlorum, *vers. 17.* refutavit olim Irenæus, lib. 4. cap. 18. delirium Marcionis, qui *Abrahæ & omnibus posteris salutem denegavit* (Cent. Magdeb. 2. col. 99.)

C.

30.
Christianis
licet posside-
re divitias.

Et quia negari non potest, sanctos hos Patriarchas, dum in vivis essent, ex benedictione Dei divites fuisse, *Genes. 23. 26. & 32.* Improbè Pelagius regno cœlorum exterminare ausus est illos *divites omnes, qui post baptismum susceptum non omnibus bonis renunciarent* (ex August. Epist. 89. & 106. Cent. Magd. 5. col. 605.)

CI.

31.
Ecclesia po-
test degene-
rare &c.

Brause. 1. 1.
i. 2. 259.

Notanda etiam est gravissima comminatio Christi de filiis regni ejiciendis (quæ etiam in rejectione populi Judaici propter ipsius pertinacem cæcitatem horribiliter impleta est, Roman. 11.) contra Pontificiorum pollicitationes, de perpetua & indissolubili desponsatione & fide Christi cum sua sponsa Ecclesia, quam ita interpretantur, quasi propterea nec Ecclesia (etiam ex successione loci & personarum æstimata) errare nec erroribus universum publicum ministerium obrui queat. Ipse enim Sponsus fidelis quidem manet, 2. *Timoth. cap. 2. & 3. Hose. 2.* At Ecclesia & filii regni per apostasiam deficere, puram doctrinam & suum Sponsum rejicere, ideoque etiam justo judicio prorsus à regno gratiæ & gloriæ exturbari possunt, ut primi evadant novissimi, *Matth. 20.*

CII.

32.
Dne tantũ
sunt mansio-
nes post hãc
vitam.

Quia etiam hoc textu Christus, planè ut aliàs tota scriptura facit, duo tantum loca designat, ad quæ omnes ab Oriente & Occidente venientes, unà cum filiis regni, tandem abituri sunt, nempe societatem gloriosam Abrahæ pro fidelibus: exteriores verò tenebras pro incredulis & impenitentibus: De statu animarum post hanc vitã aliter doceri non debet, quàm quod statim vel in sedem beatorum, vel in locum damnatorum auferantur, juxta Luc. 16. Mar. 16. Purgatorium, limbum infan-

infantum & confimiles nidos, quia ex scriptura solidè demonstrari nequeunt, relinquimus iis, qui per religionis suæ perpetuam dubitationem de immediato aditu cœlorum desperant, & nihilominus sibi tantam sanctitatem pollicentur, cui Satanas prævalere nequeat.

CIII.

Coronidis loco non possum non adicere mentionem quæstionis, quam olim magnâ anxietate, de maxima fide Centurionis in Israel tractatam esse ait Lutherus, ne B. Virginis & Apostolorum fides minor relinquatur. Suam autem sententiam ita explicat: *Quamquam hic possem respondere, Christum locutum de populo Israel, quos usq; in eundem diem prædicatione sua visitaverat, ut ita exclusam Deiparam virginem, atq; Apostolos intelligeremus, ut qui cum Christo prædicante reliquos Israelitas adserunt, & non in istorum numero sint habiti: Volo tamen apud simplicem sermonem Christi herere, & eum ita, ut à Christo prolatus est, relinquere, primum ideo, quod contra nullum fidei articulum sit, fidem hanc Centurionis parem neq; in Diva Christi matre, neq; in Apostolis habuisse. Ubi autem verbis Christi nullus adversatur articulus fidei, permittenda sunt, ut sonant, neque nostrâ interpretatione in ullius gratiam, vel Sanctorum, vel Angelorum, imò ipsius Dei aliter declaranda vel stectenda. Deinde, quod hujusmodi interpretationes atq; deflexiones verborum Christi nascuntur ex carnali quodam sensu atq; præpostero religionis erga Sanctos Dei affectu, ex quo solemus sanctos, non Dei gratiâ, sed ipsorum dignitate & magnitudine aestimare, quod sane contra Deum facimus, qui suis eos donis, & nullo illorum opere aestimat* (lege plura in postill. Eccles. lat. fol. 187. b.)

CIV.

Non apposuissem hanc quæstionem, nisi viderem Bartschium Jesuitam insanum in modum contra sententiam B. Lutheri debacchari, tantum ideo, quia veretur, aliquid majestati B. Virgini Matri, unicæ sui ordinis Patronæ decedere, (vide Tom. 2. pag. 321. 328.)

CV.

Verum nec ista mens est B. Lutheri & nostrarum Ecclesiarum: nec tamen cum hyperbolicis præconiis Jesuitarum de Maria possumus facere. *Mediam viam tenemus: præminentiam illam reverenter agnoscimus in B. Virgine, qua Deus illam præ omnibus mulieribus dignatus est: nihilominus* *Centurionis fidem suo quodam respectu majorem fuisse, absque omni absurditate concedi potest: vel ideo, quia tot tantaque adminicula ordinaria suæ fidei excitandæ non habuit, quanta Maria, Apostoli & alii Israelitæ, & tamè tam stupendum speci-*

33.
Num Centurionis fides major fide de B. Virgine?

Ida cum a. Lipsii.

specimen suæ fidei pro præsentia edidit, ut nec præsentiam Christi, nec quicquam aliud, sed solum verbulum, aut simplicem annutum requiri, constanter attestaretur.

CVI.

Sic *αὐτὴ φάσμα* non sunt, sed Christo, Johanni Baptistæ, B. Virgini, & reliquis fidelibus suum singulis relinquunt honorem, quamvis *φειροῦ ἰσως* pugnancia hæc omnia legantur: Non esse majorem ex mulieribus natum, quàm Johannem, & tamen minimum in regno cœlorum majorem ipso esse, *Matth. 11. vers. 11.* Christum maxima opera fecisse, & tamen credentem majora facturum esse, *Matth. 21. vers. 21. Joh. 14. vers. 12.* Minimum inter discipulos esse maximum, *Luc. 9. vers. 48.* Beatam Virginem esse prædicandam beatam in omnes generationes, quòd credidit verbo Angeli, *Luc. 1.* & tamen matrem esse Christi, quicumque fecerit voluntatem Patris, *Matth. 12. vers. ult.* Sic Chananææ fidem esse magnam, & Centurionis fidem esse maximam, & tamen suo loco Virginis matris fidem fuisse eminentissimam, invicem non pugnant.

CVII.

Liceat contra Bartschium adsciscere ex ipsius sodalitate advocatum Costerum, qui in sequenti Dominica, ne Apostoli *ἐδιδόσαντες* culpam defectus fidei incurrant (de quibus tamen ipsemet scribit, infidelitatem eorum non fuisse exiguam) hoc antidoto occurrit: *Omniū fides aequè magna est extensivè, quia credunt indocti omnia eadem implicite, dum scripturæ credunt & Ecclesia* (part. 2. Conc. pag. 391.) Sic ergò ipsius consensu, Centurio omnia credidit, quæ B. Virgo: & tamen præter illam æqualitatem tam illustre specimen edidit, ut ornaretur tali præconio à Christo, quale de Maria nunquam, sæpè autem duriora legimus, *Luc. cap. 2. Joh. 2.*

Matth. 12.



DISPUTATIO III.
DOMINICA IV.
POST EPIPHANIA,

Matthæi 8. 23.

I.



Rivolam & impiam esse obre-
ctationem illam, qua interdum Adversarii Evan-
gelicam religionem, ministerio B. Lutheri restau-
ratam, gravare soliti sunt, quasi dissensionum Ec-
clesiasticarum & politicarum, & ut multarum diffi-
cultatum aliarum, turbis aditum patefecerit: tum
hujus historiae typus, tum ipsorum Adversariorum conscientia ar-
guit: Quemadmodum Bartscius post alios, hoc loco causas accura-
te explicat, propter quas fieri aliter nequeat, quin naviculæ CHRIS-
TI, veræ Ecclesiæ, semper in mari mundi maligni ejusmodi tem-
pestates immineant.

II.

Quia etiam iterum magnus defectus sanctorum Apostolorum ab
Evangelista annotatus, & quasi toti orbi Christiano denunciatus est
(videlicet pusillanimitas in periculo corporali, cum tamen Christum
omnipotentem corporaliter secum præsentem in eadem navi & peri-
culo haberent) apparet ab Evangelistarum & ipsorum Apostolorum
candore, alienissimam esse circumspeditionem & reverentiam Papi-
starum, qui interpretatiõe scripturarum omnes ferè vires ingenii huc
convertunt, ut Sanctorum vitam & fidem à peccatis, quàm purgatif-
simam exhibeant, eumq; in finem, vel lapsus eorum profus negant,
vel laboriosissimè extenuare student.

III.

Costerus enim in eodem hoc Evangelio statuit, *Petrum abne-
gasse CHRISTUM. EX AMORE, quo desideravit videre exitum.* (In Conc.
H. part.)

1.
Ecclesia ad-
versitatibus
obnoxia, qua-
rum causa
non est.

2.
Lapsus San-
ctorum non
sunt dissimu-
landi.

part. 2. pag. 392.) Nonne autem hæc tam egregia via favere posset omnibus, ad redimendâ vitam, aut alia corporalia bona tempore persecutionis, qui simili ex amore CHRISTUM abnegare, nempe prætexere possent, se desiderare videre exitum, vel se desiderare in diuturniori vita, consiliis & aliis modis adjuvare commoda Ecclesiæ, nisi CHRISTUS potius hunc amorem sui tam strictè requireret, ut propter nomen suum etiam vitam perdamus, sibi quæ hanc curam integram relinquamus, quomodo Ecclesia defendi & propagari, martyribus autem vita restitui debeat, *Matth. 10.*

IV.

Quia igitur Spiritus sanctus Apostolos aliosque sanctos non excusavit, sed potius lapsus eorum ad salutarem aliorum commensationem diligenter descripsit; nos etiam à curioso hujusmodi patrocínio (quo scripturis interdum manifesta vis infertur) studiosissimè abstinemus.

V.

Non prætermittenda sunt argumenta veræ tum humanitatis, tum divinitatis in CHRISTO Salvatore. Quamvis enim veritati carnis humanæ nihil decessisset, etiam cum per virtutem sublimiorè mari in ambulasset, velut in pavimento solido & firmo, *Matth. 14.* tamen ejusmodi singularia specimina, aliis hominibus per naturam impossibilia, Marcionitæ probabilis ad suam imaginationem de phantasmate corporis rapere potuissent. Idcirco ut plurimum secundum communem legem sortis humanæ absq; peccato sese gessit, & hoc quidem tempore, navigio usus est in trajiciendo mari, quo & omnia gravia corpora opus habent, & simul somno consopitus, qui omnibus hominib; à labore & vigilia fessis necessari; & dulcis est.

VI.

Quotiescunq; autem ab hujusmodi attributis, quæ humanam naturam in hac fragilitate comitantur, quæq; CHRISTUS etiam revera subiit, argumentamur ad veritatem naturæ humanæ in ipso demonstrandam: utiliter juvenus admonetur de vera consequentiæ ratione, propter Calvinianos, qui illam malè intelligere, & malè intellectam interdum adversus nos retorquere solent.

VII.

Non enim hoc sensu à gravitate, à tactu, à visu, à somno, ad veritatem humanitatis evincendam, argumentum ducimus, quasi talia ab ipsâ essentia humana absolute promanent, adeoque dari in æter-

3.
Christus fuit
verus homo.

num verus homo vero corpore præditus, absque talibus nequeat: (liberè enim CHRIS TUS talia subiit, quæ liberè etiam declinare potuisset, nisi nostræ salutis ratio ita flagitasset: liberè etiam in exaltatione sua deposuit: deponent etiam omnes veri homines ex sorte electorum in futura gloria, 1 Corinth. 15.) sed à posteriori ratiocinamur ad prius, Ubiqueque talia accidentia verè locum habent, ibi verum subiectum tale, cui illa tantùm, licet non semper, competunt, præsumendum est. Cui consequentiæ sua firmitas constat, etiam quando ab inseparabilibus accidentibus argumentamur, ut: literas didicit, astrologus est, Ergò verus homo est: neque tamen vice versa, verus homo non est, qui literas non didicit. Sic verus homo est, qui visibiliter à loco uno ad alterum pedetentim migrat: non autem verus homo esse desinit, cui huiusmodi migratione non amplius opus est.

VIII.

Divinitatem non solum discipuli sua compellatione professi sunt, DOMINE: sed ipse CHRIS TUS illustri specimine eandem indubitata reddidit, quando fecit quod solius veri DEI, secundum suffragia sacrarum literarum, proprium est. Nimirum solus DEUS dicit, & fiunt, ipse mandat, & creantur, quæ vult, *Psal. 33. vers. 9. vs. vers. 3. solus DEUS est Dominus maris & fluctuum eius, Esa. 51. vers. 15. Job. 38. vers. 10. Psal. 46. vers. 6. Psal. 93. vers. 4. & 107. vers. 29.* Et quod diligentissimè notandum, divinæ potentæ *γυνεξιου* est, increpatione compescere omnia turbulenta, *Psal. 76. v. 7. Esa. 17. ver. 13:* CHRIS TUS autem, ex hoc navigio, verbo effectum dedit, quod fieri voluit, pro mero imperio mari & vento imperavit, increpatione fluctus eius sedavit: ut jam taceam alia specimina absolutissimæ eius potestatis super aquas, *Matth. 14. Luc. 5. Matth. 17. Joban. 2.* Ergò est verus DEUS.

IX.

Instantia, quæ à Mosis, Josuæ & aliorum miraculis in mari & aqua editis, obijci poterat, *Exod. 7. & 13. Jos. 3. 2 Reg. 2.* iisdem in locis ab ipsa scriptura diluitur, quæ omnia illa Domino Jehovæ expressè tribuit, illosque viros, ceu organa divinæ Oeconomix subordinat.

X.

Ex hoc fundamento, quod nostra historia commune habet cum illa, *Matth. 14. v. 31* scriptum Christianorum principum, (*Stattliche Aufsührung* pag 85, 86.) rectè pugnavit contra dubitationem Pontificiam,

4.
Christi divinitas demonstratur.
p. 51. 87.

5.
Contra dubitationem.
Pap.

ficiam, qua fingunt, nullum hominem esse certum in via presenti, an habeat charitatem, nisi ei sit specialiter revelatum. Item, nullam majorem esse abominationem apud Deum, quam Lutheranorum præsumptio, homini firmius absq; omni dubitatione credendum esse, quod habeat remissionem peccatorum (vide ibi ex Hofio & Antonino.)

XI.

Si enim dubitatio & hæsitatio tam laudabilis coram Deo humilitas esset, ut quidem vulgo à Pontificiis Doctoribus persuaderetur: propter ἀπιστίαν & modicam fidem, neque Petrus neque discipuli reliqui increpandi fuissent. Quia verò culpam meruit ista dubitatio de auxilio circa beneficium corporale, quod alioqui, non nisi cum reservatione voluntatis divina, petere & expectare licet, quæque discipulos ex subita consternatione, absque voluntario proposito, occupavit: Cur non graviolem reprehensionem incurrat dubitatio, de spiritali gratia remissionis peccatorum, & salutis in Christo Jesu, sine omni conditione & limitatione credentibus promissa, multoties repetita, Sacramentorum usu, & Spiritus sancti in habitatione ob signata: Præsertim, si non ex infirmitate, sed dato studio fluctuationi isti indulgeamus.

XII.

Ubi tamen sciendum, quando dubitatio Pontificieia damnatur, nos nequaquam illud velle, quasi possint fideles hujusmodi hæsitationem penitus effugere, aut, si plenam certitudinem non possideant ipsis de salute desperandum esse: cum hoc ipsum exemplum consolationem daret, de commiseratione Dei, qui etiam linum fumigans non extinguit, sed potius fovet & insufflat: Verùm illud tantùm requirimus, dubitationem pro carnali infirmitate agnoscendam & deplorandam esse: Et Pontificios in eo reprehendimus, quòd dubitationem pro necessaria Deoq; acceptissimam virtute commendant; certitudinem autem fidei Christo exosam esse clamant.

XIII.

Sed annò videntur nobiscum loqui & sentire Pontificii, quòd scribunt, hac reprehensione: quid timidi estis, modicæ fidei, CHRISTUM exegisse à discipulis, fidem certam & extra omnem hæsitationem positam, (Bartl. Tom. 2. pag. 472.) fidem magnam & INDUBITATAM, & quidem in corpore magnam, ut CERTUM credatur, nunquam opprimi Ecclesiam pag. 473. Item Bellarm. lib. 3. de justis, cap. 11. Nullam esse Catholicam

scriptorem, qui doceat, oportere hominem perpetuo dubitare & hesitare de sua cum Deo reconciliatione.

XIV.

Magna equidem vis est veritatis, neque dubium est, conscientias Papistarum, quando talia scribunt, interdum plura agnoscere, quam ore profiteri solent: nihilominus dubitationem suam mordicus tenent, & de fidei veræ essentia esse firmam fiduciam perpetuo inficiantur: Interim quicquid de certitudine indubitata rhetoricantur, tantum de fide secundum Pontificiam descriptionem intelligunt. hoc est de assensu, quo nihil omnium credendorum seu divinitus patefactorum in dubium vocatur, sed certò statuitur, verissima & certissima esse omnia mysteria salutis, de Trinitate, de Creatione, de Christo passio pro genere humano, &c. (Bartolæus hic pag. 608. 617. Bellarm. libr. 3. de justifi. cap. 9.)

XV.

Verum adhuc ipsos suis propriis placitis, ceu tricis, satis irretitos esse, deinceps patebit. Nos enim ex hoc ipso Evangelio urgemus, veram fidem, quam Christus ab Apostolis requisivit, & à fidelibus omnibus adhuc requirit, non tantum assensum esse certitudine mysteriorum Evangelicorum firmiter nitentem & intellectu radicatum, sed etiam specialem fiduciam in corde & voluntate, ex illa priori & infallibili certitudine ortam.

61
Fides est firm.
in assidua.

XVI.

Reprehendit enim Christus modicam fidem, non quòd aliquod dictum scripturæ, vel aliquem articulum fidei in dubium vocarint (quem admodum Jesuitæ somniant, Apostolis in isto periculo non satis certum fuisse Articulum de Ecclesia, quòd perire nequeat. Bartolæus hic pag. 486.) sed quia timidi fuerunt, & Matthæi 14. vers. 31. quia Petrus dubitavit; unde vi oppositionis liquet, quia propter metum & dubitationem imminuta censetur ipsa fides, ad veræ fidei requiri talem fiduciam cordis, quæ omnem hæsitationem, timorem & metum excludit.

XVII.

Id quod alibi explicationes fidei satis perspicuè tradunt, Rom. 4. vers. 19. 20. Abraham non infirmatus est fide, quia non hæsitavit dissidentia (ubi ipse Bellarminus ægrè fert vocabulum dissidentia in antiqua versione. qua tamen ex decreto Tridentino constrictus tenetur lib. 1. de justifi. cap. 6. & 11.) Fides, quæ sanavit Hæmorrhoidiam non

fuit generalis assensus, quod Christus sanare possit, sed tam firma fiducia, quâ secum certa & persuasa fuit, se sanitatem recuperaturam, si solum vestimentum ejus tangeret, *Matth. 9. vers. 21. 22.* Fides nostra, quæ vincit mundum, *1 Joh. 5. vers. 4.* est *inquit* *Johan. 16. vers. ult.* Credere in nomen filii Dei, est fiduciam habere apud DEUM, *1 Johan. 5. vers. 13.* Credere in DEUM, nō confundaris, *Roman. 10. vers. 11.* est ex *Psal. 31. vers. 12.* Confidere in Domino. In oratione credens omnia accipit, *Matth. 21. vers. 22.* nempe eadem illa fide nihil hæsitans, *Jac. 1. vers. 6.*

XVIII.

Verum, ut nostro exemplo in hæreamus, consideranda est Bartolæi *inquit* quâ hoc loco elabi conatur, ex sensu Pontificiorum, qui sæpe quidem proximè convenire & coincidere fidem & fiduciã, non autem eandem virtutem esse, seu fidem ipsam fiduciam esse, concedunt, pag. 607.

XIX.

Ita autem commentatur: *Bene observandum est in verbis his Christi: quid timidi estis modica fidei? duos simul defectus discipulorum tangi, quorum alter fiducia unum erat, alter fidei; nec mirum, simul ista duo conjuncta fuisse, quia circa unam eandemq; materiam fuere admissa: Primo timor unum mecum objicit, quid timidi estis, inquit. Id animi vitium erat seu affectus (idem enim timiditas ista est cum pusillanimitate) Idem timor & fiducia in discipulis defectus (idem enim fiducia tandem est, quod animus fidens, invidiosus, erectus.) Secundo, fidei parva, Modice inquit fidei: Id intellectus erat peccatum, quia nimio terrore obnubilati, non satis conceperant mentes, quæ apta temporibus illis fuissent: atque hæc radix prioris illius: quam propterea unâ cum timore attingit Christus, ut morbos suorum perfecte atq; ab ipsa radice curaret, pag. 611.*

XX.

Et paulò pòst: *Quia fides proprie accepta, qua credimus per omnia divina veruati, circa eandem materiam exercenda venerat, circa quam etiam fiducia ipsa versabatur, eademquæ fundamentum debebat parere omnino fiducia firmæ, ut ut ipsa nutante, necessario simul & fiducia nutaret: inde fiebat, ut vino q; sius etiam fiducia vitaretur, & ut reprehensa una simul & alterius defectus necessario indicaretur atque includeretur (ibidem.)*

Quo pa-

XXI.

Quo pacto etiam Bellarminus elidere conatur argumentum, ex tali oppositione fidei & timoris seu dubitationis, Matth. 6. 8. 14. & 16. petitum, scriptitans: *Non est mirum, si timiditas, qua fiducia opponitur, referatur in defectum fidei, quandoquidem ipsa fiducia ORITUR ex fide: sed non ideo confundenda est fides cum fiducia. Itaque cum Dominus ait, quid timidi estis modica fides, docet idem, timorem in Apostolis locum invenisse, quoniam debiles erant in fide. Nam si magna, id est, firmissima & inextinguibilissima fide credidissent, Christum esse DEUM, ac per hoc ubique presentem & omnipotentem, semperq; vigilantem, ac suorum providentiam gerentem, ex ea fide concepissent fiduciam evadendi periculum naufragii, etiam si Christus corporaliter dormiret (lib. 1. de justif. cap. 11.)*

XXII.

Nos sane suscipimus illam confessionem, quod defectus tam fidei, quam fiduciae (utut à se invicem se junctam fidem & fiduciam relinquamus) morbus sit, ideòque à CHRISTO in Apostolis merito reprehensus. Nulla igitur dubitatio de gratia & auxilio Dei, si ve temporalem, si ve æternam salutem concernente, potest esse virtus, sed morbidus defectus; contra quem, imbecillitati nostræ insidiantem, vigilantissimè media in pharmacopolio scripturarum proposita, adhibere debemus, *Marc. 9. vers. 24.*

XXIII.

Amplexamur etiam illud, tam fiduciam, quam fidem circa idem objectum occupari: quod toties occinemus Pontificiis, quoties aliàs, pro more suo (Bellarminus lib. 1. de justif. cap. 5: Bartscius super hoc Evangel. pag. 607.) ab objecti diversitate concludere audent, fidem non esse fiduciam.

XXIV.

In illo Bartscius linguam corrigat, quando dixit, *idem esse fiduciam, quod est animus fidens, intrepidus, erectus*: Animus enim fidens à fiducia habet, ut intrepidè confidat; ideòque à fiducia differt, sicut concretum ab abstracto, sicut subiectum accidentibus informatum, ab ipsis accidentibus.

XXV.

Quotiescunq; autem ingeminat, defectum, propter quem modica fuit fides Discipulorum, fuisse tantum defectum assensus, circa certitudinem veritatis revelatæ, vel circa articulum fidei: toties principium petit, & tanquam indubitatum præsupponit, quod tamen nec
ex textu

ex textu demonstrari, nec probabiliter discipulis tribui potest. Præterea, cur non excusasset discipulos, vel suffecisset illis implicita fides, de qua nemo dubitare potest, quòd implicitè omnia crediderint, quæ Magister eorum docuit? Assumptum quidem, sed nondum probatum est, etiam illud, quòd per intellectus, notitiæ & assensus culpam tum temporis non conceperint, quæ apta temporis fuissent, sed potius cum intellectus & assensus satis certus esset de potentia & præsentia Christi Filii Dei in genere, ex defectu fiduciæ seu fiducialis apprehensionis, non potuerunt sibi generalem illam consolationem applicare, aut trepidationem culpabilem evitare.

XXVI.

Ipsium denique argumentum quod attinet, *fides est radix fiducia, & fiducia est effectus fidei.* Ergò fides non est ipsa fiducia: Respondemus, committi Elenchum à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Concedimus fiduciam ex fide oriri, sed tantum hoc duplici respectu & sensu, quatenus vel ex fide pro notitia promissionum accepta, deinceps fides quæ justificans vel instrumentaliter apprehendens, hoc est, posterius requisitum, à priori ejusdem fidei requisito, ratione *in se* enascitur per operationem Spiritus sancti: Vel fiducia accipitur pro seipsa, non ampliùs inchoata aut infirma, sed valdè roborata & in vivo exercitio posita, ut *Ephes. 3. vers. 12. 1. Timoth. 3. vers. 13. Hebr. 10. vers. 19. & 22.*

XXVII.

Neutro autem sensu rectè inferitur, Ergò fides per se non est fiducia, sed merus assensus, certitudine verbi intellectualiter subnixus. Magis enim & minus non variant speciem, Et subordinatio plurium requisitorum, & ad ejusdem speciei constitutionem, etiam si suo modo alterum ab altero dependeat (*E. G.* etiam si, secundum Physicos, forma actuans habeat suam dependentiã à potentia materiæ, ex qua edueta est) tamen non importat specierum diversitatem.

XXVIII.

Instat Stapletonus in Cath. pag. 59. *Si fides & fiducia eadem sunt, iuxta hæreticos, cum fiducia carent. At ostendit, etiam fidei caruisse: at fidem, licet modicam haberunt.* Ergò, Sed responderetur. Fidem modicam habuerunt, quia fiducia eorum admodum attenuata & exilis, non tamen prorsus nulla fuit, ut Jesuita præsumit.

XXIX.

Sic etiam in altero, quod quasi dissimulanter insinuat Bartschius, alias.

alias apud Papistas in hac quaestione primario argumento, quod scilicet *fides in intellectu, fiducia autem in corde habeatur*, ideoque eadem virtus esse nequeat; negamus propositionem, per expressum dictum Pauli, **CORDE** creditur ad iustitiam, cum quo Apostolo Adversarii, contententes tantum intellectu credi posse, litem transigant: imò etiam cum illis Philosophis, qui voluntatem vocant ipsum intellectum, sed extensum & promorum. Exercitat. Scalig. 307. sect. 3. pag. 923. Et cum suo Thoma, qui ordine quodam, ad plures potentias animæ, eandem virtutem posse referri, disputat (alleg. Gerhard. Tom. 3. Loc. pag. 1165.) Ex abundanti adscribo etiam verba Stapletoni: *Est fides opus Dei, juxta Johan. 6. quia opus intellectus & VOLUNTATIS est, quo obsequenter captivamus intellectum in obsequium CHRISTI, unde & obedientia fidei actus fidei vocatur.* (In Domin. Septuages. part. 2. pag. 71. Catholici prompt.)

XXX.

Porro increpationem Domini, qua turbines ventorum & fluctus marini sedari sunt, diligenter notemus ad instructionem nostram necessariam, ne vel Satanæ, vel subditis regni ejus Magis, sagis, venificis & incantatoribus plus adscribamus, quam par est.

XXXI.

Et sanè posse Satanam, tum alias calamitates corporis & animæ; tum verò nocentissimas tempestates, tonitrua, fulgura, grandinem, turbines ventorum, excitare, & hominibus non solum profanis, sed etiam fidelibus immittere: vel sola historia Jobis, cap. 1. testatur: neque abs re loquuntur nonnulli interpretes, qui etiam has tempestates in mari Gahlæ, cum periculo naufragii conjunctas, ipsi Diabolo adscribunt, in isto confinio, quasi peculiariter nidulanti, ut ex sequenti historia, de dæmonibus ejectis, apparet, qui statim gregem porcorum in mare præcipitârunt.

XXXII.

Testatur etiam scriptura, *Exod. 7. Num. 22. 1. Samuel. 28. Exod. 22. Levit. 20.* Testatur quotidiana experientia, fuisse olim in populo Dei, & esse adhuc ejusmodi Magos, sagas & incantatores, qui vel superstitionas & impias præstigias, vel etiam ex foedere & conspiratione cum Satana, in id incurantur ut tum aliis modis quàm plurimis, tum verò potissimum, per nocentissimas tempestates, in mari & agris, hominibus, navibus, arboribus, segeti, agris & urbibus damna stupenda inferantur.

7.
Suprema & absoluta potestas temporis, apud solū Deum.

Quid possit Diabolum?

Quid saga?

DECADIS II. DISPUTATIO III.

XXXIII.

Revera autem neque Satanas princeps aëris, neque jurata ejus organa ullam potestatem, vel in homines, vel in sublunaria omnia habent, aut exercere possunt, nisi permissionem, ab unico omnium creatorum Domino, eodemq; dispensatore omnium tempestatu, *Psal. 18. & 148. Job. 38. Sir. 40. Hagg. 2.* quasi mendicando impetraverint, *Job. 1. Matth. 8. Num. 22. & 23. 1 Reg. 22. Luc. 22.* Unde etiam, ad solum ipsius nutum, tempestates jam ortæ & grassantes conquiescere & cessare coguntur, *Exod. 7. 8. & 9.* ut hoc loco, per subitam increpationem ejus, repentina tranquillitas restituta fuit.

XXXIV.

Imò cum Satanas, ceu potentissimus spiritus, permissu Dei, stupenda multa edere valeat, *Ephes. 6. Job. 1.* etiam miraculosa, *2 Theff. 2.* Sagæ tamen & striges suis decoctis & mixturis atque similibus artibus, prorsus nihil horum efficere valent: facere tamen ista & multa, etiam Satanae impossibilia, sibi videntur, ex spiritus informalis persuasione, qui non solum insatiabile desiderium nocendi hominibus & jumentis, vel etiam extraordinaria quædam & stupenda edendi, in eis accendit, sed etiam, quo tempore ipse, permissione Dei, hujusmodi turbas daturus est, easdem instigat, ut artes & incantationum formulas, à se traditas, expediant, sicq; per subsecutum eventum, in Diabolica sua excæcatione, magis magisque obdurentur, vel etiam per præstigias suas phantasiam, & sensus earum ita præstringit (in talibus enim illum esse potentissimum artificem, vel sola ostensio regnorum mundi, *Matth. 4.* arguit) ut facere & videre & accipere sibi videantur, quæ tamen revera, præter imaginationem, nihil sunt.

XXXV.

Et quidem hac ipsa de causa, quia non diffitentur suam apostasiam à Deo ad foedus cum Diabolo; & ex se quidem nihil aliud cogitarunt & molitæ sunt, quàm illa ipsa damna, quæ tamen non ipsæ, sed Satanas operatus est, per capitalia supplicia è vivis tolluntur, ex jure & consuetudine imperii, ad exemplum politia Judaicæ, *Exod. 22. Levit. 20.* Planè, ut proditor vel incendiarius, ob constans propositum & molitiones, justè punitur, etiamsi illæ irritæ, & per animadversionem Magistratus prorsus interceptæ fuerunt.

XXXVI.

Scimus quidem, Magisterium absolutæ potentia Dei, ut in aliis, ita nec in tempestatibus, in tragicis inundationibus aquarum, & similibus

Cur sagæ
supplicio af-
ficiantur?

Quid natu-
rales cause?

milibus cladibus causarum naturalium seriem per se non excludere; eadem potius, ut famula & administra suæ justitiæ uti: unde quæ de virtute astrorum in sublunarem & elementarem regionem modeste disputantur, sicut & alias physicorum sanas sententias, in medio relinquimus: Tamen ferri iterum nequit ista Astrologorum præsumtio, qui prædictiones suas in sola facie cœli fundant, adeò ut Aoniari, in libro de nativitatibus, Albumasar, Cardinalis Camoracensis, in tractatu de Concordia Astronomiæ cum Theologia, *diluvium*, Genes. 7. *certe astrorum dispositioni adscripsimus*, quæ tamen ferè trecentis annis Cataclysmum illum antecesserat (allegat Oratio Weintichii, de causis inundationum, pag. 11. 12.)

XXXVII.

Cui similem prædictionem Astrologorum, sed ipso eventu elusam refert idem Weinrichius ex Bodino, qua nimirum An. 1524. propter 20. conjunctiones planetarum, cum omnium admiratione in Februarium incidentes, inundationem totius Orbis terrarum prædixerunt, adeò ut multi præfagiò terre facti, nominatim etiam Auriolus Tolosæ Juris Consultus, sibi de navibus ad aquarum perfugia, prospexerint (ibidem.)

XXXVIII.

Hujusmodi Astrologos acutissimus Scaliger non immeritò Chymicis similes esse perhibuit, qui omnia ad Mercurium suum referunt. Si qua enim causa in astris, vel eorum conjunctione & oppositionibus hæret: Certè illa nimis remota & insufficientis est, quemadmodum nuper in festo Epiphaniarum de illius principii lubricitate fusiùs dictum est. Nonne CHRISTUS non solum mare & ventos debuisset increpare, sed simul etiam astra, si tam valida ipsorum, ferorsim cõsideratorum est potentia, ut non solum in præsentia, sed possidentos & trecentos adhuc annos, pertinaciter inferiora urgeant?

XXXIX.

Quomocunque autem vel causæ naturales, vel etiam Satanæ operationes in turbandis tempestatibus conspirent, principaliter cor Christianorum ad fidei cynosuram directum esse debet: ad illum nempe, qui vel dormire solet, donec calamitates ingruant, vel in momento oculi, sua increpatione omnia displodere potest.

XL.

Quotiescunque igitur tragicæ istiusmodi calamitates ingruunt, neque securè eas contempnamus, neque nimis despondeamus animum,

Quid in tempestatibus faciendum?

ceu arbitrio Satanae & Sagarum planè expositi; sed potiùs, agnitis nostris peccatis, propter quæ omnes pœnæ ingruunt, à Deo vel præsidium adversus hostiles insultus, vel compensationem damnorum illatorum speremus & petamus: Omnium verò minimè, desciscentes à medijs ordinariis & licitis, adversus morbos & damna alia, Magorum aut Sagarum prædictiones & consilia sectemur: Cum hujusmodi profanæ mentis protervia æquè, ut ipsum magicum studium in verbo Dei prohibitum sit, *Levit. 29. Deut. 18. Esa. 8.*

XLI.

Quid verò illud est, quòd Christus ventos & mare objurgavit, & objurgando compescuit? Nunquid ad illius imitationem conceptis verbis, vel grassantes flamas incendii oborti reprimere, vel tempestates & nubium minas avertere, vel morbos a jumentis & hominibus depellere, vel fascino à stabulis arcerè licet?

XLII.

Ita sanè multi, non tantùm inter Papistas, ex veneratione sacramentorum (vt opinatur) benedictionum & exorcisationum, sed etiam inter pomœria veræ Ecclesiæ, ex inveterata, & quasi hæreditaria muliercularum superstitionarum consuetudine, persuasi sunt: Similiter cæca & inconsiderata observatio ne eventuum, per cooperationem spiritus mendacii, in filiis incredulitatis, permissu Dei admodum efficacia, decepti, quemadmodum antea de sagis indicatum est.

XLIII.

Tales etsi non semper verbis ex sese impiis, invocatione demonum, maledictionibus, aut similibus utuntur: tamen verbis & rebus per se non malis, vel etiam ipsis sententiis scripturarum, mentione sacrosanctæ Trinitatis, Beatæ Mariæ, aut aliorum sanctorum, vulnerum & passionis Christi, salutatione Angelica, denunciatione pœnitentiæ, oratione Dominica, & hujus generis innumeris aliis, ad benedictiones suas sive medicationes imaginarias, adhibitis nonnunquam certis characteribus in scriptura, aut certis gestulationibus in pronunciatione, plusquam superstitionis, absq; omni verbo & promissione Dei, abutuntur.

XLIV.

Exemplis ad illustrationem totius hujus vanitatis ac superstitionis alioqui pertinentibus super sedemus, partim, ne levitas ingeniorum arripiat, quod maximè ignorare debet, partim etiam, quia vix aliquis pagus, imò vix aliqua familia hujusmodi superstitionum noti-

8.
De conceptis
benedictionum & im-
precationum
formulis.

tiâ, aut usu prorsus carere videretur, unde omnibus, plusquam satis, aut piæ menti tolerabile est, hujusmodi gerræ facillè innotescunt: ita ut volumen non exiguum facillè repleat quispiam, quo obiter saltem superstitionis hujusmodi artes & consuetudines, ex plebeculæ praxi & sermocinationibus, advertere & consignare velit.

XLV.

Graviter autem peccatur ista ratione contra distincta præcepta Decalogi: Contra *primum* supersticiosa fiducia, juxta tritum vulgi canonem, credere oportet firmiter, si velis tali subsidio frui; *sicut tibi, sicut credidisti*: qua ratione cor, à Deo quasi avulsam, prorsus in hujusmodi superstitionibus recumbit, medicis & ordinariis mediis aliis, imò ipsâ divina providentia & beneficentia, per diffidentiam, impatientiam, levitatem mentis, ambitionem aut similes affectus impudissimos, posthabitis.

XLVI.

Contra *secundum & tertium*, sacrosanctum nomen & verbum DEI sumitur in vanum, hoc est, abripitur ad usus divinitus neque ordinatos, neque probatos, sed, vel levitate ingeniorum humanorum, vel suggestionem ipsius Satanz, excogitatos: non raro ipso actu, extraneum, vel aliarum circumstantiarum æstimationem, blasphemos & impios.

XLVII.

Idem prætextus ille, quo præ cæteris frequentissimè excusari volunt, quod videlicet non nisi sacris verbis & sententiis utantur, usque adeo non meretur veniam, ut potius tantò deterior sit concepta formula benedictionis, quàm sanctioribus nominibus Jehovæ, Trinitatis, Sacramentorum, Crucis Christi, vel Angelorum abutuntur; quemadmodum tantò turpior est vini abusus, quantò præstantius donum Dei ipsum vinum est.

XLVIII.

In nomine Dei & sacrosanctæ Trinitatis quàm plurimæ benedictiones & imprecationes perficiuntur, non verò juxta præscriptum Pauli, *Coloss. 3.* quod tales condiciones requirit, quæ scèdissimè his superstitionibus violantur: qui enim in nomine Dei piè, vel ex fide, fieri potest id, de quo neque institutio, nec promissio, nec permissio, nec approbatio in sacris literis, contra verò expressa prohibitio extat, *Exod. 22. Levit. 19?*

XLIX.

Unde quamvis expectationi interdū respondeat eventus, (nempe, quia permisso DEI, 2 *Thess.* 2. Satanas quædam conficit, aut ex aliis causis ipsi notis futura prædicit, ad quæ sua suggestione superstitiosas imprecationes destinaverat & præscripserat; quo eventuum philtro credulitatem cæcam inprimis & efficacissimè allieit, *Deut.* 13. *Marth.* 24.) tamen plus perdis, quàm lucraris, conscientiæ nimirum sinceritatem, & salutem ipsam, pro qualicunque imminutione calamitatum (ut plurimum φαινομένη tantum) in rebus ad corporis felicitatem pertinentibus.

L.

Fugiamus igitur stolidam hujusmodi *νευροθελίαν*, resistat etiam illi pius Magistratus exemplo, legibus & animadversionibus vigilantiter: cum superstitiosæ adjurationes vel benedictiones nihil quicquam commune habeant cum increpatione CHRISTI in hac historia annotata: Deterior tamen est ille prætextus, quando à concepta formula Baptismi, à consecratione (quam vocamus) panis & vini Eucharistici; à precum recitatione, quæ certam promissionem exauditionis habent; à ritibus & gestibus CHRISTI in nonnullis miraculis adhibitis, *Mar.* 7. *Johan.* 5. *Math.* 8. ab efficacia verbi & ministerii, *Hebr.* 4. à benedictione divinitus instituta, *Num.* 6. & usurpata, *Genes.* 1. & 2. argumentantur: quasi ex fundamento similitudinis, sive Analogiæ, etiam de suis conceptis imprecationum formulis iniquius sentire, vel pronunciare amplius non liceat.

LI.

Diluuntur aliquot abusus Evangelii.

Nunc verò, postquam vim nostri textus adversus nonnullos errores experti sumus: deinceps de illis abusus pauca dicemus, quibus vel per iniquam glossam, vel per improbam consequentiam eadem injuria à Pontificiis Doctoribus inferitur: præcipuè in loco de Ecclesia, cujus typum gessit hæc navicula Christi.

LII.

Primò, visibilem esse oportet Ecclesiam, ut appareat, ubi locorum infreto hujus mundi illa naviget: Cur ergo Evangelici fingunt Ecclesiam invisibilem: cum tamen ingressus in eam, tantum per visibilia media, per baptismum & verbi prædicationem fiat (ita ratiocinatur Bartscius Tomo 2. pag. 506. 550. 551. 557.)

9.
An detur
Ecclesia in-
visibilis?

Respond.

L III.

Respond. Quis unquam negavit, Ecclesiam veram esse visibilem? Annon nostra Ecclesia semper conspicua fuit & adhuc est, pervisibile ministerium doctrinae Apostolicae? Quae cum etiam in medio Papatu olim sonuerit (licet non sine fermento traditionum humanarum, quemadmodum etiam tempore Christi, Moses sonuit & Prophetæ, *Math. 13.*) ideoque, ceu efficacissimum semen coeleste, filios regni coelestis genuerit, *1 Petr. 1.* hoc respectu, etiam superioribus annis ante Lutherum, vera Ecclesia navigavit, ubicunq; sonuerunt textus Evangelici, ex ipsa scriptura deprompti: Multitudini Papistarum intermixta, & tamen visibilis fuit, & adeo visibilis, ut, singularia quaedam membra, in Catalogo Testium veritatis, nominatim sint annotata, major pars gravissimas persecutiones AntiChristi incurrerit: Maxima vero à Nauclero CHRISTO, contra hujusmodi imperus defensa, & tranquilliori fato, per fluctus hujus mundi, tractata sit.

L IV.

Hæc cum de visibili Ecclesia apud nos in confesso sint, tamen, alio respectu cœtum electorum, & verè credentium ideo vocamus invisibilem Ecclesiam, quia, quæ talis, oculos nostros nunquam incurrit: cum Christiani veri in occulto sint, *Rom. 2. v. 28. Psal. 45. v. 14. 1 Petr. 3. vers. 4. Luc. 17. vers. 20. 1 Reg. 19. vers. 18.* Et sic ipse Costerus seq. Domin. part. 2. Conc. pag. 426. scribit: *Si boni tantum Ecclesiam constituerent, nemo eam agnosceret: bonitas enim in cujusq; corde suo invisibilis:* Unde rectè argumentamur: Boni, quæ tales, sunt invisibiles, potior pars, licet non major, bonorum est in Ecclesia (Costerus ibidem) Ergo Ecclesia secundum potiolem partem est invisibilis: quæ ipsa tamen, in societate cum aliis, respectu publici ministerii, visibilis est.

L V.

Secundò, à figura navis, cujus venter seu medium latius patet, prora verò & puppis angustior, & quasi in cuspidem acuminata est, arguit, Ecclesiam veram debere habere parva initia & similem sinem, medium verò amplissimum: Talem figuram representavit Catholico-Romanæ, ut quæ circa initia N. Testamenti angusta quidem fuerit, sed proximis seculis amplitudine florantissima excelluerit, etiamsi ante sinem mundi utrumque in quasdam angustias reditura sit: Evangelicorum verò Ecclesiam, instar monstri, non quadrare ad formam navis, ut quæ jactet suam amplitudinem nunc in ultimis seculis, tanquam in puppi, & præterea gloriatur de ampli-

10.

De forma
Ecclesie
ratione
multi-
tudinis,

amplitudine tempore Apostolorum, ceu in proa: in intermediis autem aliquot seculis quovis filo tenuissimo exilior, imò individuis atomis aliquorum Philosophorum obscurior fuerit, adeò ut in nulla regione istorum temporum monstrari potuerit (Bartsc. Tom. 2. pag. 564.)

LVI.

Respond. ¹ Ab allegoriis per senillum solidum procedit argumentum, nisi omnia & singula membra accommodationis ex aliis scripturæ locis certa sint. ² In parabolis & similitudinibus non requiritur, ut singula etiam minutissima membra applicentur, dummodo ratione principalis scopi concinna accommodatio detur (Luth. Postill. Domin. Sepruagel.) Unde nõ opus est hac sollicitudine, quomodo cum oblonga figura navis lignæ facies Ecclesiæ conformetur, cum ratio typi & comparationis, inter ipsam naviculam cum contentis (Christo videlicet & discipulis) fluctuantem, & inter Ecclesiam, inter persecutiones mundi periclitantem, principaliter consistat. ³ Præterea falsum est, atomis obscuriorem, aut filo exiliorem fuisse Lutheranam, hoc est, Apostolorum doctrinam sincerè amplexam Ecclesiam superioribus seculis. Certè quàm latè per univèrsum Orbem patuit prædicatio Evangelii, Catechetica institutio, & administratio Baptismi, tam latè non defuerunt electi, cum verbum DEI nunquam irritum cadat, *Esa. 55.* præcipuè verò in Orientalibus Ecclesiis, quæ in dogmata Papæ non consenserunt. Talis autem amplitudo, cum angustia circa finem mundi, *Luc. 18. Matth. 24.* & cum primis initiis primitivæ Ecclesiæ, in Actis Apostolorum depictæ, collata, ventris latitudinem optimè potest repræsentare, si talis accommodatio formæ navalis necessària videatur. ⁴ Hoc tamen semper indubitatum esto, nec caput, nec ventrem, nec initia, media aut finem Ecclesiæ, à pressura & imminutione prorsus immunia esse.

LVII.

Tertiò, Consolationem veræ Ecclesiæ, quòd fluctibus quidem impeti, sed propter præsentiam CHRISTI submergi aut interire nequeat, *Matth. 16.* retorquent Papistæ contra querelas nostrorum Doctorum, de afflictissimo statu veræ Ecclesiæ, sub Tyrannide Antichristiana, proximis mille annis ante Lutheranam reformationem: Formant autem, ex abundantia sui pectoris, nostras querelas, quòd Evangelici dicant, *Naviculam Christi inde à mille annis naufragium fecisse, & quidem gravissimum atq. tale naufragium, ut toto eo tempore, si omnes angulos Oceani istius spiritualis, seu Orbis terrarum univescunt,*

77.
An Antichristus
sus dominus
matus sit in
Ecclesia?

tiam; ne unum quidem possint ostendere navitum Christi, qui integrè salvus evaserit, sed & indignissimum: occupasse enim naviculam eandem loco Christi supremi Navarchi principem tenebrarum, clavum vero ejus, loco Nacleri supremi Petri Apostoli, teterrimum invasisse inferni satellitem. Anni Christum, eosdemq; in ea navigasse secure annis amplius mille, Christo inde exterminato, ut locum nullum publice quietis habuerit, donec infelix Lutherus emergeret cum suis (Bartol. Tom. 2. pag. 488.

LVIII.

Ulterius etiam progrediuntur ad illam consequentiam: Ergò ministri & evangelici inanissimè suos consolantur, quòd nunquam à Christo deserendi sint: qui fatentur, totis decem seculis Ecclesiam à Christo desertam fuisse, pag. 494. Item: Ergò abnegatores sunt articuli in Symbolo Apostolico, Credo Catholicam Ecclesiam, pag. 497.

LIX.

Huc pertinent ea, quæ multoties ingeminat: Illa est vox Ecclesie, quæ omnes fluctus superat, pag. 589. Sed Evangelicorum est tantum piratica navis, imò papyraceum puerorum navigium, p. 531. Item: Absurdissimum est statuere, Antichristum in ipsa Christi navicula sedere, p. 499. Non Evangelici, qui nusquam apparebant, & navigabant, sese fluctibus persecutionum opposuerunt, sed Catholici, veneratione reliquiarum & similibus notis insignes, pag. 589.

LX.

Respond. Rhetoratio hæc multis vitiis laborat. ¹ Quædam negat, quæ scriptura expressè docet de Anni Christo, 2. Thess. 2. ² Quædam fingit, quæ nobis in mentè nunquam venerunt, Nempe: quòd Ecclesia Christi interierit, aut interire queat; quòd Christus deseruerit Ecclesiam suam per mille annos; quòd inter nos abnegetur articulus de sancta Catholica Ecclesia; quòd ne unum quidem navita salvus evaserit, aut ostendi possit.

LXI.

Cum autem de talibus per consequentias nos vult convincere, funiculos arænæ necit, ¹ Naufragium pati & funditus perire, non eodem passu ambulant, Act. 27. ² Ferre jugum AntiChristi dominantis in medio templo Dei, non est prorsus deseri à Deo. ³ Neque deturbatus fuit à throno Christus, etiam si Satanas cum satellitibus Antichristianis illud molitus sit olim infensissimè, & adhuc molitur. ⁴ Non abnegat Ecclesiam Catholicam (sincerè ita à Catholica Apostolorum doctrina dictam) qui digito demonstrare nequit, ubi terrarū habitat;

siquidem hoc ad sensus & ad historicam observationem, illud tantum ad fidem pertinet. ⁵ Qui sese olim gentilib. & idolatris opposuerunt, non quâ Papistâ, sed quâ Confessores doctrinæ Christianæ & Evangelicæ, martyres facti sunt: Cum martyres, non nisi à genuina causâ martyrii, hoc est, ex verâ fidei confessione, æstimandi sint. ⁶ Feliciter sub vexillo & præsidio Dei eluctata est vera Ecclesia è fluctibus Antichristianis, ut nunc plenis velis naviget in Occidente & Oriente, ad eò non invisibilis & occulta, ut potius Papæ Romanæ sit sudes in oculis, ⁷ Salvi autem evaserunt navitæ, etiam per martyria, vel aliud mortis genus abrepti, quia ad portum æternæ patriæ pervenerunt: Neq; liberatio piorum præcisè liberationem ex temporalibus malis notat. ⁸ Et cum Tyrannis Antichristiana ubique grassaretur in publicum ministerium, non tamen nullibi Christus quietem habuit; interdum etiam publicam, licet talem, qualem hîc in navi, inter fluctus persecutionum. Nam à corrupto ministerio publico fas non est totam Ecclesiam impuritatis arguere, nisi ad Donatistarum castra descendere velimus. Imò Christus in cordibus fidelium, infantum & catechumenorum habitans, quievit etiam alibi publicè, hoc est, per publicam Confessionem, partim in casta susceptione eorum, quæ publicè ex textu scripturarum prælecta fuerunt; partim etiam in Confessione Martyrum eorumq; contradictionibus, quales omnibus seculis Papistici errores experti sunt.

L XII.

Manet ergò perse firma, & in nostris quoque Ecclesiis inconcussa consolatio, quòd neq; portæ inferorum possint prævalere naviculæ veræ Ecclesiæ: Nempe, si hic vel ille cætus visibilis constanter adhæserit sinceritati verbi, in expugnabili præsidio contra omnes persecutiones & hæreses circumvallatus erit: Sin desciscet à verbi & Spiritus S. ductu per verbum, talis quidem cætus hominum naufragium pati à vera fide, *1 Tim. 1. v. 29.* ipsa autem Ecclesia interire non poterit, ut quæ ex aliis populis facile recolligatur, *Act. 13. Rom. 11.*

L XIII.

12.
Quomodo in
navicula Ec-
clesiæ manē-
dum?

Quartò, Costerus in descriptione optimi processus, inter tot hæreses necessarij primo loco requirit: *Noli à navi Ecclesiæ egredi, Quod cum de vera Ecclesia rectè consulisset, ille non solum ad Romano-Catholicam tantum perperam accommodat, sed etiam expressè rejicit consilium, quod omnia audiri, & quod bonum est, probari debeat: Affirmans illud consilium tantum doctis convenire, laicis non, quibus NIHIL*
judicii

judicii est. Item: Si omnibus licita est fides, nulla certa erit, sed multa absurda sequentur, quæ politico magis & Machiavellico, quàm Christiano deceant. (In Conc. part. 2. pag. 390.)

LXIV.

Qua autem præsumptione Jesuitæ jubeant manere in navi Ecclesiæ Catholicæ, videlicet ut simpliciter in placita istius Ecclesiæ jurent, neq; de veritate illorū ullibi dispiciant: vel ex eo patet, quod Bartscius inculcat, *Trinitatis*, inquit, *articulus est cor fidei, ille vero articulus: Credo Ecclesiam Catholicam* (videlicet Romanam & Papisticam) *est caput.* Item: *Ides in Symbolo, neq; verbi neq; Sacramentorum facta est mentio, quia ea ab Ecclesia PETENDA erant.* (Tom. 2. pag. 522.)

LXV.

Quæ verò est audacia, si hæc non est, Romanæ Ecclesiæ tantam autoritatem adscribere, quòd ei licuerit tradere verbum non scriptum. Item: Sacramenta, etiamsi per verbum scriptum non haberentur? Fingitur non causa, ut causa. Cum brevissimo compendio Apostoli vellent complecti potiores articulos, tùm alios præterierunt, tùm illa duo capita, de Verbo & Sacramentis, quæ instar principiorum habuerunt, quibus ipsi articuli nobis persuadendi & confirmandi fuerunt.

LXVI.

Quoad cætera, nos persistimus in consilio Christi, *Matth. cap. 7. Joh. 5.* & Apostolorum, *1 Thess. 5. 1 Joh. 4.* etiamsi Papistæ eenties contradicant. An verò Spiritus sanctus, per modò allegatum *1 Joh. 2. 20.* consilium, Machiavellicam confusionem opinionum & sectarum introducat, rationem suo tempore Costerus supremo & severo judici reddet. Nos autem scimus, hac sola ratione, & nulla alia, nos manere in navicula Ecclesiæ, quando omnibus probatis, bonum depositum retinemus, & verbum Dei fidei corde custodimus, *Johann. 6. 1 Timoth. 4. 2 Timoth. 1. Matth. 12. vers. ult.* Scimus etiam fideles Laicos, quibus Costerus omne judicium derogat, verè spirituales esse, & per gratiam Spiritus sancti, verè judicare mysteria salutis, *1 Corinth. 2. vers. 15. & 10. vers. 15.*

LXVII.

Et cur ita Romanæ sedi alligatam esse Ecclesiam existimemus, cum hic ipse typus nos commonefaciat Christum cum discipulis suis, nunc eis mare habitare & concionari, nunc verò mare trajicere, & aliam mansionem ad tempus quærere.

13.
De Chame-
nia Christi.

LXVIII.
Porro idem Costerus somnum Christi in navi, non obscure ad electitiam trahit, scribens: CHRISTUS in vestibus jacet, super ligno ad clavum paratus, si aliquid ingruat: Sape humi dormivit, ut patrem noctu commodius deprecaretur, adiciens deinceps Chrysofomi exemplum, qui stans dormivit, mento funi imposito. Item, Johannis Eleemosynarii, qui donatam stragulam ter vendidit. (In Conc. pag. 385.)

14.
Quomodo
Christus ex-
citandus?

LXIX.
Descripturus modum excitandi Christum, Excita, inquit, bonis operibus, jejunio, corporis castigatione, onera navis, id est, temporalia bona per Eleemosynas ejice &c. pag. 390.

15.
De obedi-
entia religio-
forum.

LXX.
Respond. Nihil talium, vel de Christo, vel de discipulis legitur. Paupertas, jejunia, sobria abstinencia & similia corporis exercitia, 1. Timoth. 4. vers. 7. suum quidem usum habent: illum verò nunquam, quem supersticio Papistica fingit, & figmentis semel præconceptis, deinde quævis, etiam à sanis exercitiis alienissima, per vim accommodare nititur. Stamus ergò hîc quidem in pura inficiatione, donec, vel dictis, vel exemplis aliis evidentibus, electitiæ istæ corporis carnificinæ, præsertim sub opinione meriti, satisfactionis & perfectæ sanctitatis institutæ, probabiles reddantur.

LXXI.
Atque hoc ipsum simul responsum sit, ad prolixam declamationem Costeri, qua propter Exemplum ventorum & maris, tam promptè obsequentium increpationi Christi, obedientiæ virtutem & dignitatem, ita deprædicat, ut cuius legenti perspicuum sit, illum non tam de sincera & vera obedientia erga præcepta Dei, secundum utramque legis tabulam, quam de Canonica obedientia religiosorum agere. Si enim ita liceret terram & cælum invicem permiscere, tandem etiam obedientia seductoribus & pravo sodalicio præstita, insignem laudem merebitur; imò dignitatem meriti, quam suæ imaginariæ obedientiæ Costerus adscribit, cum illa ne quidem genuinæ obedientiæ piorum erga præcepta Dei competat, sed soli obedientiæ Christi Mediatoris, Rom. 5. attribuenda sit.

LXXII.
Ubi vel unicum hoc confidentiæ specimen notetur, Costerus huic religiosæ, hoc est, electitiæ obedientiæ adscribit, quod possit opera aliis indifferentiæ, verbi gratia, SUBLATIONEM STRAMINIS, facere bona

bona (part. 2. pag. 396.) cum tamen aliàs effreni iracundia debacchetur aduersus Lutherum, qui docuit, in legitimo matrimonio piorum parentum, extergere infantes, coquere cibos, &c. esse opera sancta, quæ tamen verà obedientià, iuxta præceptum Dei nituntur.

LXXIII.

Sed audi tandem, quanto liatu oris Stapletonus hæc eructet: *Per hoc Evangelium* (nempe, quia exemplo discipulorum in multis fides admodum modica, in aliis magna est) *evertitur illud magnum Lutheranorum & impium axioma, fidem per quodvis peccatum mortale excuti & amitti. Quod idè fraudulenter dicunt, ut videantur, cum solam fidem iustificare & salvare asserunt, fidem intelligere cum virtute & bonis operibus necessario coniunctam* (In Cathol. part. 1. pag. 60.) Quæ autem est ratio consequentiæ? *Sænim, inquit, per quodvis peccatum mortale excutitur fides, debet in quolibet esse æqualis fides* (ibid.)

LXXIV.

Mysterium hoc plenius intelligitur ab eo, cui explorata est Pontificia sententia, in Concil. Trident. Sess. 6. cap. 15. *quod fideles fornicarios, fideles adulteros, fideles masculorum concubitores agnoscat: videlicet ex erroris fonte, quòd fidem tantùm historica notitià & assensu Pontificii definiunt: in quo tamen vehementer falluntur.*

LXXV.

Nulla autem est consequentia: Nam fides, non ut magna, aut parva, neque ut notitia, vel habitus est: Sed simpliciter, quatenus Christum apprehendit, iustificat. Quare nulla apparet ratio, cur non idem peccatum contra conscientiam iecurè admissum (*Exempli gratia, abnegatio, dissidentia, desperatio, &c.*) tam magnam quàm modicam fidem queat evertere. Christus enim cum sua iustitia amittitur: Ergò & fides. Deinde ut fides, quæ iustificans, sicque in simplici apprehensione promissionis consistens, sine successiva dispositione concipitur: ita etiam sine successivis alterationibus potest amitti, vel potius expirare, cessante gratiosa operatione Spiritus sancti, scilicet per peccatum secunda conscientia admissum, exclusa. Tertio, cum homo peccatis contra conscientiam fidem perdit, utique jam ante adjectum illud seu effectum, eximia scilicet & planè admirabilis illa fidei ἀνεσφοεσία perit: Nam ἀνεσφοεσία fidei facit, ut quàm fortissime homo & summa cum animi sui alacritate verbo DEI adhærescat: quam alacritatem inclinatio etiam cogitationum & affectuum, & tentatio carnis ac peccati interrumpere potest, corde aliquantulum

16.
An fides per quodvis peccatum mortale amittatur?

nutante vel fluctuante, etiam si opus ac facinus externum non subsequatur.

LXXVI.

Demonstratur ⁱⁿ hujus amissionis, adeoq; non absurdi seu Lutherani, sed verè Christiani ac Theologici enunciati (ut reliqua omnia nunc taceam) à natura fidei. Quia enim fides est victrix mundi, videlicet concupiscentiæ carnis & oculorum, *Johan. 5. & 2.* per charitatem efficax, *Galat. 5. vers. 6.* lux per bona opera lucens, *Matth. 5. v. 16.* purificans corda, *Actor. 5. vers. 9.* Sequitur, ubicunque voluntariè quis indulget peccatis, ubi caro & peccatum regnant (regnare enim, & victoriam contra spiritum obtinere potest etiam unum peccatum, *Roman. 6. 1 Corinth. 8.*) ibi non habitare veram fidem, *Rom. 6. & 8.* quia concessio dominio peccatis, nuncium est remissionis spiritui & gratiæ ejus præsentia, *Galat. 5.*

LXXVII.

Cum enim fidei justificantis (de ea enim tantum loquimur) hoc sit proprium & internum officium, apprehendere promissionem gratiæ remissionis peccatorum, poenitentibus oblatam: quomodo hoc officio fungi, hoc est, quomodo dari talis manus & apprehendens fides potest, in securo & extra poenitentiam constituto: qualis ex hypothesis est omnis, qui contra conscientiam peccat, quæ talis? Credere, sibi, securè peccanti, Deum esse propitium, multò major est levitas, quam si magicis præstigiis & superstitionis benedictionibus, conceptis verbis & characteribus, ex propria imaginatione, adhibeatur fides.

LXXVIII.

Interim protestamur, nos nunquam cogitasse de fraudulenta hujusmodi insinuatione, quam nobis Jesuita affingit: neque ea epus est nobis, qui in omnibus scriptis aliam pro vera fide nunquam agnovimus, quam talem, quæ per charitatè efficax est, atq; fructus bonorum operum proutradit: etiam si in actu justificationis omnem concursum operum, præeunte scriptura, *Rom. 3. Galat. 2. Ephes. 2.*

Tir. 3. ab officio fidei justificantis proprio longissime secludamus.

DISPUTATIO IV.

DOMINICA V.

POST EPIPHANIA,

Matthæi 13. 24.

I.



Qvod Salvator noster hac parabola futurum prædixit, ut semper in eodem agro veræ Ecclesiæ, astu Diaboli etiam zizania hæreticarum opinionum & aliorum peccatorum, spargantur & succrescant: id semper per omnes ætates Ecclesiæ factum est, idem que fieri etiamnum hodie experimur, ut neq; hujus Evangelii semen bonum, sine quisquiliis & zizaniis hæreticarum corruptelarum, multis in locis seminetur, aut radices agere queat.

II.

In antiquissima ætate Manes suum lolium huic parabolæ admiscuit. Quia enim duos ingentos & æternos, Deum scilicet & Materiam, seu Lucem & Tenebras, illud principium bonum, hoc verò malum, simulq; utriusque principii æterni perpetuam pugnam & commixtionem inter se statuit: huic suo delirio accommodavit, quæ hîc de patrefamiliâ, seminante bonum semen, & de inimico nostro, malum semen adspergente, leguntur. Quem secutus infelix ille Felix Manichæus (contra quem scripsit Augustinus) itidem existimavit, Christum ad illas contrarias naturas, unam malam, alteram bonam, respexisse in similitudine de arbore bona & mala, *Matth. 7.* de duplici semine in agro, *Matth. 13.* de agnis & hædis, *Matth. 25.* Teste Augustino (lib. 2. contra Felicem, cap. 1. & 2.)

III.

Verum cum de principio malorum omnium, nempe Diabolo, ut &

Y.
Contra Manichæorum
Deum malum.

ut & de infatiabili odio ejus, adversus regnum Dei, & omnes ordinationes bonas, nominatim autem de semine ipsius malo, sacre literæ frequenter doceant, *Genes. 3. Sapient. 2. Ephes. 2. Johan. 8.* etiam Deum mundi & principem tenebrarum spiritum illum malignum, *2. Cor. 4. Ephes. 6. Johan. 12.* appellantes: nullibi tamen vel æternitatem Deo vero ac bono coævam, vel creatione rerum, vel absolutum dominium, ei adscribunt: sed potius catenis infernalium tormentorum, partim propter propriam defectionem, partim verò propter seductionem hominum, ita alligant, ut neque porcum invadere, nec quicquam damni ulli homini inferre valeat, nisi à supremo Numine, suo Domino & Creatore, quasi mendicando concessionem obtineat, *Matthæi 8. Job. 1.*

2.
An Ecclesia
vet. Testam.
fuerit regni
celorum?

Deinde regnum celorum tantum Ecclesiam Novi Testamenti vocari contendit Costerus, & præterea hujus denominationis, seu prærogativæ præ veteri Ecclesia, causas fingit improbas, quod Ecclesia Novi Testamenti sit veluti suburbium regni caelestis, quod eodem cibo, nempe corpore Christi, nutriatur: Cum in veteri synagoga sacramenta & sacrificia tantum corporalia fuerint, ex se nihil spirituale conferentia. ² Quod nunc sine medio, per portam mortis, transitus pateat in civitatem caelestem, cum ex synagoga NEMO transferit in caelum, quantumcumque Sanctus, atque ita portatantum fuerit ad lumbum Patrum & sinum Abrahae. ³ Ubi simul hoc interspergit: In regno celorum esse orationem & miserationem copiosam, ubi illi PRÆSENT, qui gratiam deliquerunt, nempe Petrus & Paulus, (part. 2. Conc. pag. 403.)

Ita scilicet Jesuitæ merentur opinionem vulgi, quasi crassos errores majorum suorum non amplius ferant: cum tamen veteribus subinde novos adiciant! quod etiam hoc loco facit Costerus, sine omni saltem probabili consequentia. Quæ enim hæc est vesania, præfides cæli constituere Petrum, Paulum, & alios Sanctos, cum hæc majestas & sublimitas soli Deo competat? Quæ nam temeritas, idè uberrimum fontem miserationum in caelesti patria quærere, quia, qui in hac vita magni peccatores fuerunt, eò recepti sunt? Ex qua revelatione illud promanavit, quod etiam Beati cœlites in celesti gloria nutriantur corpore Christi, quo hinc, dum in fide adhuc peregrinamur, *2. Cor. 5.* potissimum in sacra cœna, pascimur?

Habet

VI.

Habet sanè Ecclesia Novi Testamenti prerogativas, præ Veteri-
fatis illustres, de quibus alias agitur: Sed Cofferus hic dicitur mera po-
stulata eaque falsissima: Si enim militans Ecclesia fidelium in Veteri
Testamento, non fuit regnum cælorum, videlicet regnum oblatae
gratiæ, ut Ecclesia novi Testam. Cur ergo Judei vocantur filii regni,
& quando per incredulitatē suam rejeçti sunt, e regno Dei, & quidem
ex illo ipso regno Dei ejeçti dicuntur, in quod ipsorum loco gentes,
discubitare olim cum Abrahamo & Isaaco, per fidem in Jesum Chri-
stum adscitæ sunt? *Matth. 8. v. 12. Cap. 21. v. 43. & 23. v. 13.*

VII.

Limbus Patrum est merum figmentum curiositatis humanae:
quod omnes ignorant & ignorabunt semper, qui ex dictis scriptura-
rum intelligentiâ dictorum (juxta Hilarium) expectant potius, quam
imponunt, referunt magis, quam inferunt. Nunc adversus illum ni-
hil aliud urgemus, quam quod Adversarius ipse suppeditat, fideles in
Veteri Testamento per portam mortis ad iussum Abrahæ. Sinus e-
nim Abrahæ est locus consolationis, *Luc. 16.* & æternæ beatitudinis,
in quo cum illo æternum discumbent fideles ex Oriente & Occiden-
te, *Matth. 8. vers. 12.* magnus hiatus fuit firmatus inter sinum Abrahæ,
in quo Lazarus recreabatur, & inter infernum: *sed pars inferni est Lim-
bus Patrum*, secundum Bellarminum, lib. 2. de Purgat. cap. 6. col. 633.
Ergo magnus hiatus inter sinum Abrahæ & limbum (si quis statuen-
dus) firmatus est.

VIII.

Quando autem pro vacuis tantum ceremoniis habet sacramen-
ta Veteris Testamenti, ceu ex se nihil spirituale conferentia, contra-
dicat regulæ Apostolicæ, *Actor. 15. vers. 11. per gratianum Jesu Christo cre-
dimus salvari, quem adradum & Patres.* Unde constat, quia promif-
sioni Evangelicæ tam fuerunt connexa Veteris Testamenti sacramen-
ta, quam Novi, tam fuisse media & sigilla gratiæ, quam nostra. Præ-
terea in Circumcisionis institutione Evangelica promissio, ideoque
(*Rom. 1. v. 16.*) non inefficax, fuit illa, *Ero Deus tuus & seminis tuo post te,*
Genes. 17. alibi nempe sic illustrata, *Ero vobis in patrem, 2 Cor. 6. vers. 18.*
scribam legem meam in corda illorum, & peccatorum eorum non
recordabor amplius, *Jerem. 31. vers. 33-34.*

IX.

Quia ager hujus sementis ab ipso Christo statuitur mundus, seu
L corda

3.
Anager cor-
dis humani
ex se habilis
semini cale-
sti suscipien-
do?

corda humana, inde parere existimat Bartscius, *hyperbolicam & ni-*
miam esse apud Lutheranos corruptionem cordium humanorum exagera-
tionem: ne ita corruptum esse totum agrum humani cordis, quin, si semine
Christi censemsetur, fructum possit facere Ex SE caelestibus horreis du-
gnum (Tom. 2. pag. 835.)

X.

Quo in loco multa dicit, odiose & per calumniam pervertens
statum, quasi etiam ab homine per baptismum regenerato *nil nisi da-*
mnatione dignum prodire doceamus: etiam Flaccianorum metamor-
phosin (à qua tamen Ecclesiae nostrae alienissima sunt) nobis impu-
tans. Contra quae protestamur, nos cordibus verè regeneratis liben-
ter tribuere cooperationem ad bonum. non tamen ex se, sed per do-
natam gratiam spiritus regenerationis, à qua tam velle, quam perfici-
ere, etiam in ipsis renatis unice profanatur, *Phil. 2. 2 Cor. 3. Rom. 9.*

X I.

Quia autem regeneratio seu renovatio in hac vita imperfecta
manet, ita ut caro & Spiritus, vetus & novus homo in eodem Chri-
stiano, quasi *in vobis* in omnibus actionibus concurrant, *Rom. 7. Ga-*
l. 5. sit inde, ut opera renatorum etiam optima, tanta imperfectione
& impuritate adhuc laborent, ut secundum rigorem iustitiae divinae
in lege expressum, nequaquam gratiam, sed tantum iram & damna-
tionem merentur, *Esa. 63. Psalm. 130.*

X II.

Hoc solummodo sensu docuit Lutherus, *hominem in suis bonis o-*
peribus peccare: hoc tantum sensu concedimus, à regenerato, nil nisi
damnatione dignum, proficisci posse: nempe propter perpetuam im-
perfectionem, quia etiam opus bonum tantum ex parte cum lege
congruit, ex parte verò dissentit. Nequaquam autem docemus, omne
bonum opus formaliter esse peccatum, ac si nihil in eo insit boni. Do-
cemus potius, hominem renatum, seu arborem bonam, per gratiam
spiritus sancti, bonos fructus edere, placentes autem Deo, non ex se-
se vel intrinseca sufficiente bonitate, sed propter Christum, cuius ab-
undantia per fidem apprehensa, connexa operis imperfectio obvela-
tur & tegitur, *Psalm. 32. Esa. 61.*

X III.

Quando igitur ager cordium nostrorum, verbo Dei vivifico
consemnatur, ex se prorsus sterilis, & omni habilitate carens, *1. Cor. 2.*
Ephes. 2. & 5. Rom. 8. 2. Cor. 3. per illud ipsum verbum, ex cooperatio-
ne Spi-

ex qd fapp. 11. l. p. 26 q. 2. pp.
aut. p. 103.

ne Spiritus sancti, novam illam fecunditatem ad spirituales fructus accipit, 1 Petr. 1. vers. 23. Quicquid etiam deinceps boni progerminat, id totum nullatenus alicui, quasi excitatæ, virtuti ipsius carnis, vel agri, sed efficaciam verbi & Spiritus sancti, in solidum transcribendum est, Job. 15. vers. 5. Philip. 1. vers. 6. 2 Thess. 3. vers. 3. Unde constare potest, vitiolissimam esse consecutionem, *Ager cordis humani, per seminatum verbum, & per gratiam Dei habet, ut possit bonum fructum facere. Ergo antea non fuit prorsus inhabilis, vel, Ergo, Ex se potest cooperari verbo & gratie Dei in bono, quæ propria Papistarum, Pelagianorum & Synergistarum opinio est.*

XIV

Præcipue autem communiter omnes Pontificii circa hanc parabolam perquam sollicitè hoc agunt, ut persuadeant incautis, suam Catholicam religionem esse bonum triticum, alias verò omnes, & præcipue Lutheranam doctrinam, esse zizania à Diabolo noctu seminata.

XV.

Cudont autem suis istis depravationibus hujus parabolæ quinque argumenta, ad quæ omnia prolixè a diversis dicta revocari possunt. Primum petitum est à novitate nostræ doctrinæ, 1. à dissidiis opinionum simul introductis, 2. ab autore Diabolo, 3. à defectu successione, 4. à pessimis fructibus. Nunc de singulis Autorum verba producemus.

XVI.

Primum argumentum tale est: *Zizania sunt illa, quæ super seminantur agro in medio tritici jam antea seminati, non quæ prima in novalia Christi sparguntur. Talia sunt dogmata Evangelicorum, quæ nulla novalia primo seminarunt, neque etiam conferere primo ullum novale studuerunt, neque ad hoc faciendum apri sunt: sed sola ea loca pervasere, in quibus Catholica antea viguit fides. Ergo sunt zizania (vide prolixè Bartl. Tom. 2. pag. 678. 779.) Stapletonus universalem hanc thesin ex descriptione zizaniorum elicit: *Novas doctrine hæresin arguit* (In Cathol. part. 1. pag. 60.)*

XVII.

Respond. Novitas & postseminatio (ut ita barbarizemus) vel est nota per se & perpetua hærescos, vel ex accidenti, si posterius, nihil inde firmiter concluditur: Si prius, cum omne antiquum olim aliquando novum fuerit, oporteret etiam Catholicam & Apostolorum

4.
An Papistica doctrina sit triticum bonum, Lutheranam verò zizania?

9f. Decad. 5. d. p. 7. Dan
7. Trin. p. 74. §. 113.

doctrinam in primis initiis, imò protevangelium, *Genes. 3.* hæreticam fuisse: præterea, si Lutherana doctrina Insulam quandam recens inventam conseminaret, ex illa hypothese non esset hæresis: Si autem Catholicus postea superfeminaret, esset hæreticus. Quin ex eodem proprio suo fundamento hodie Jesuitæ hæretici erunt, quando Ecclesias antehac Lutheranas & Orthodoxas (*Exempli gratia*, nunc in Palatinatu Neoburgico) reformant, seu potius devastant; quia nimirum superfeminant agro, antehac ab aliis per doctrinam Evangelii confito.

XVIII.

Videt Bartscius nostram instantiam: Nostram doctrinam ideò esse antiquissimam, quia in Apostolorum & Prophetarum scriptis extat, quia etiam primò omnium per Apostolos & successores, in orbe terrarum & gentilium agris, fuit sparsa, donec inimicus superveniens Catholicos errores seminavit: Sed perstat in sua imaginaria consequentia, atque ita occurrit, non de seminatibne verbi, qua scripta, sed qua PRÆDICATA agit Evangelium. Docet verò Evangelium, suæ ipsius NATURA, & ex ipsa optimi patrisfamilias industria, lequimur seminis huius diffusionem primam esse, consequi verò ex hostis invidia & zizania super-infusionem. (pag. 681.) Pergit autem: *Ut ergò ministri probeant istud suum verbum verum esse Christi semen, nihil ad rem facit, de qua hic agimus, quod ad scripturæ sacræ antiquitatem confugiant: illud necesse habent docere, eas mundi partes, quas hoc seculo deformarunt, potius suarum confessionum doctrina ac predicatione conspersas esse à sui ordinis ministris, priusquam Papatus zizania in easdem superinduceretur* (ibid.)

XIX.

Sed cordatum quemlibet iudicare jubemus, annon per antè datam responsonem etiam hæc structura tota sponte corruat. Etiam de seminatione, quâ prædicatâ ostendimus, Apostolorum seminationem dogmata Papatus longè anteverisse: Et sic intentio patrisfamilias æthereis optimè fuit impleta. Ridiculum autem est, etiam coram pueris, doctrinæ vel merci alicui, bonitatem à prioritate adscribere, qua alteram antevertit. Quantum quæso Inimicus reliquit intervallum Deo præseminanti, ad prærogativam antiquitatis? nonne in paradiso eodem die, quo Deus seminaverat, supervenit concio serpentis, *Genes. 3.* Et quo documento negabit Papista, quòd non proxima statim nocte post jactum bonum semen, Inimicus zizania sua sparserit? Quamnam bonitatem conciliavit prioritas doctrinæ Pseudo-

deapostolorum, qui interdum Apostolorum adventum anteverterunt, aut certè non rarò simul eodem tempore & in eadem urbe docuerunt?

XX.

Nihilominus Bartscius ratiuncula ista nos obrundere conatur, pag. 774. *Ratio, inquit, idem docet: nihil enim aliud, quam corruptela quedam verae fidei hæresis est, venenum fidei hæresis est, mors quedam fidei est; nihil corrumpi potest, quod integrum nunquam fuit, nihil veneno inficitur, quod sanum antea non fuit: nihil moritur, quod nunquam habuit vitam: idè errores paganorum infidelitas quedam sunt, sed non hæresis.*

XXI.

Respond. Accidentale tantum illud discrimen est, rei ipsius diversitatem nullam importans, quando error contra veritatem fidei, vel intra Ecclesiam primò oritur, vel extra hanc illi opponitur, quod nunc quidem non moramur. Interim per se fidei venenum seu mors est quilibet error fidem impugnans, etiamsi quis in errore natus & eductus sit, sicque actu in eodem illo subjecto non præextiterit fides: debebat enim in esse. Sicut nos omnes verè mortui sumus in peccatis, *Ephes. 2.* etiamsi spiritualis vita in nobis actu nunquam præextitit, scilicet olim in lumbis Adami amissa. Lepra tam est lepra, ubi hæreditaria est, quam ubi in adulta demum ætate hominem corrumpere coepit, antea mundum.

XXII.

Quod si ergò Catholici, quando paganos jam tum profundissimè in infidelitate hærentes, novis suis & crassissimis erroribus, fidem veram impugnantibus, de novo corrumpunt, nolunt audire hæretici: per nos generalius audiant, seductores, secundum titulum Pharisæorum, qui profelytum, terra marique quæ situm, duplo deteriorem effecerunt, *Matth. 23.*

XXIII.

Hoc tamen iudicio, quod Andr. Oslander, in disput. de Inquisitione Catholica, thes. 22. allegat, ex jure Canonico, cap. 24. q. 3. ca. 27. quòd ibi approbetur Hieronymi sententia: *Quicumq; aliter scripturas intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo scripti est, licet de Ecclesia NON RECESSERIT, tamen hæreticus appellari potest.* Attendat hic Bartscius, sive præseminetur, sive post seu superfeminetur, hæresis est, quicquid sensum scripturarum impugnat.

XXIV.

Quòd autem Evangelici nostri, neque Indias, neque alias exoticas terras, doctrinâ Evangelii conseminant; hoc non tam ex metu Hispanicæ inquisitionis, vel cæteris ex causis à Bartscio, pag. 785. non rogato dictis, quàm inde fit, quia Apostolicam vocationem, in omnes terras excurrendi, non acceperunt: neque illos ordinaria vocatio eò unquam extrulit: An verò Jesuitas, vel absolutæ obedientiæ votum, vel imperium Papæ, legitimè ad istas regiones extrudat, id partim Christiani sinceri jam tum judicant, partim etiam plenius extremum iudicium manifestabit.

XXV.

Sed audi quæso, antequam ad secundum argumentum progrediamur, etiam illam, egregiam scilicet, ratiocinationem Bartscii: *Quando Evangelici dicunt, Apostolicam doctrinam prius seminaram fuisse, quàm Papiſtica zizania, videri forte possent, aliquid ad rem dixisse, si unus aliquis solus diceret: Nunc idem eodem jure eademque certitudine omnes, etiam inter se differentissimi, affirmant, singuli etiam se mutuo zizaniorum condemnantes: Necessario ignita, vel omnes simul mentuntur, vel plerique certe omnes, &c.*

XXVI.

Hæc certè nulla responsione digna est Num Adversarius poterit ferre sic concludentem: Vos Papiſtæ jactatis veritatem & veram interpretationem scripturæ, Adversarii vestri, itemq; omnes hæretici similiter jactant veritatem. Ergò ex æquo omnes mendacium dicitis?

XXVII.

Secundum principale argumentum est: *Quicquid non est unforme, sed multiplex simul prodit, id non est triticum, sed zizania, que IDEO in plurali numero efferuntur, quia sua natura multiplicia sunt: Jam verò novum Evangelium simul multisforme, per Lutheranos, Zwinglianos, Anabaptistas, Antitrinitarios, & similes prodit, Ergò non est triticum, sed zizania (pag. 686. Tom. 2.)*

XXVIII.

Respond Committitur fallacia ab eo, quod per accidens fit, ad illud, quod Per se. Neque enim per se Evangelica doctrina diversissimas sectas (quas tamen nos puri Evangelii confessores abominamur) peperit: sed inimicus per sua organa adjecit: Eadem planè ratione, in agro hujus parabolæ, multiplex semen crevit, bonum videlicet à patrefamilias seminatum, & zizania, ab inimico noctu sparsa. Similiter
prodit

2. Argum.
à dissidiis Et
controver-
sis.

prodiit Evangelium Apostolorum, unà cum doctrina Pseudoapostolorum. *Item:* Hymenzi & Phileti, nec non Nicolaitarum sectis, sed sine culpa ipsius Apostolicæ doctrinæ: sicut & sine ipsius culpa dissensiones semper in Ecclesia durabunt, usq; ad finem mundi.

XXXIX.

Præterea, num propter solam unitatem seu perpetuum consensum, inde ab ascensione Christi ubique locorum, omnibus temporibus continuatum, Judæorū dogmata bonum triticum erunt? Nonne si dissensionum culpam simul ipsa veritas tenet, ipsa Catholica religio falsissima erit, in qua, non Doctores vel Episcopi vulgares, sed ipsi summi Pontifices Romani, gravissimas & notorias contradictiones sæpe proposuerunt. Ocularem demonstrationem exhibuit Illyricus peculiari tractatu, & non pauca exempla Lælius contra Satorium, pag. 412.

XXX.

Tertium argumentum sic habet: *Quicquid non à patrefamilias, sed ab inimico, videlicet Diabolo, seminatur, solium est: Evangelicorum doctrina ab ipso Diabolo, per Lutherum seminata est.* Ergo. Ad minoris probationem protrahitur coccyismus Cacolycus, toties à nostris (paucos ante annos, à D. Frid. Balduino, contra Nicolai Serarii Jesuitæ Moguntini maledicam orationem) refutatus, ut ferè tædeat, circa illum occupari: nimirum, *querela B. Lutheri, qua gravissimas Satanæ tentationes, aliquando (tertio post editam Augustanam confessionem anno) super negotio Missæ privatæ, sibi objectas enarravit, Tom. 6. Jenens. (vide Bartsc. Tom. 2. pag. 810. 811.)*

3. Argum.
ab autore.

XXXI.

Quæ autem est consequentia? Lutherus tredecim annis post, ubi jam abominationem Papatus, nominatim etiam idolomaniam missæ privatæ, deferuerat, super hoc negotio, in primis verò super tot missis olim à se Monacho celebratis, gravissimas tentationes Satanæ (propriam doctrinam ipsi objicientis, sicut *Matth. 4.* locum de Filio DEI CHRISTO objecit) auscultavit: Ergo à Diabolo doctrinam suam didicit?

XXXII.

Neque enim Satanæ ista omnia, quasi ægrè ferret missam, Luthero objecit, sed potius ut huic ægrè faceret, eiusque zelum subrueret, & quasi domesticis argumentis doctrinam sinceram suspectam redderet. Neq; etiam Lutherus ideò auscultavit, ut ab isto doctore Infernali

nali informaretur, sed quia permissu Dei declinare vel effugere tentationes istas non poterat.

XXXIII.

Semen autem illud, quod Papatus, quâ talis, aliquot seculis in agrum Domini projecit, & adhuc spargit, ab inimico Diabolo esse, intrinseca & formalia indicia produnt, quia gravissimos errores, contra Sacram scripturam pugnantes, exhibet, quos non solum mordicus, sed crudelissimo & sanguinolento zelo, adhuc defendit.

XXXIV.

Bartseius hic conatur nos ad absurdum reducere: *Si à Diabolo fuit semen Catholicum, Diabolo etiam adscribenda erunt prima inter tot gentes barbaras cognitio veri Dei Creatoris caeli & terra, unius atq; individuae Trinitatis, Incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, extremi iudicii, &c. quam Catholicis prædicarunt: Diabolus ergo Biblia in vexit, Diabolus ergo fœditatem suam idolatriæ primus manifestavit, Diabolus ipse regnum suum primus subvertit, quod absurdissimum. Matth. 12. Luc. 11. (Tom. 2. pag. 695. Item pag. 816. 818.)*

XXXV.

Respond. In ministerio corrupto Papatus duo sunt, primo, aliqua pars tritici boni, videlicet ipsi textus Biblici, indeque depromptæ nonnullæ doctrinæ & admonitiones salutares, unâ cum sacramento baptismi: deinde corruptelæ & traditiones humanæ, isti tritico admixtæ. Verbum Dei cum nullibi & nunquam prorsus inefficax sit, *Esai. 55. Rom. 1. Hebr. 4.* etiam in medio Papatu isti adscribendum est, quicquid unquam boni ad plantandam ibi, & conservandam Ecclesiam aliquam Electorum, effectum est: interim quitquilix & corruptelæ pestilentissimæ ad nullum alium autorem, quàm Diabolum referri possunt, qui nec Biblia, nec sanas aliquas doctrinas per Catholicos in vexit, sed potius terre & tolerare coactus est, quod, propter potentissimam providentiam Dei, evertere non potuit: Ut jam non dicam de Diabolico actu, quo scripturas adfert, sed ad decipiendum, *Matth. 4.* quò etiam Christum fatetur Filium Dei, sed ore infernali, *Luc. 4. Actor. 14.*

XXXVI.

Stabilimus nostram distinctionem exemplo ministerii Judaici, tempore Christi: Pharisæi, qua tales proponebant fermentum, omnibus piis mentibus, ipsius Christi monitu, serio vitandum, *Matth. 16.* nihilominus, quâ textum Moïsi & Mosaicæ Propheticalque doctrinas per

nas per se proponebant Spiritus sanctus, per illā ipsorum doctrinam, in corruptissimo coetu, tamen plantavit aliquot fideles, qui redemptionem Israëlis sincera fide & spe expectabant, *Luc. 2.* Imò consensu adversariorum roboramus, qui, quod de fructu Evangelii seu de Evangelicorum textuum, imprimis de veritate & efficacia baptismi in nostris Ecclesiis concedunt, non aliter, nisi eadem distinctione adjuvati facere possunt. In aula Principis coquus, quā talis, potest optima edulia apponere, quā autem perfidus venenum alicubi admiscere, unde simul quosdam salubriter pascit, & alios necat.

XXXVII.

Quartum argumentum procedit à continua successione, quam Romanenses pro nota veræ Ecclesiæ & veræ doctrinæ semper in ore habent, atque ex hoc Evangelio sic urgent; *Quicquid est verum tritici semen, illud à prima seminatione debet crescere usq. ad messim, hoc est, debet in Ecclesia durare, perpetuâ successione usq. ad consummationem seculi: Catholicum semen tale est, non autem Evangelicorum ministrorum.* Ergo hoc non est triticum, sed illud (Bartolæus Tom. 2. pag. 840. Stapleton in Cathol. part. 1. pag. 64.)

4. argumen-
tum à suc-
cessione con-
tinua.

XXXVIII.

Hoc autem granulum cæcæ gallinæ adeò sapuit, ut in controversia de Ecclesia bis ruminaret, primò hac formâ: *Vera Ecclesia natura est crescere, videlicet ex una radice, Ergo illa Ecclesia, qua diu & perpetuò in eadem radice manet, est vera. Et per consequens, antiquitas est nota vera Ecclesiæ* (Stapleton. Controv. de Ecclesi. l. qu. 4. art. 1. In Relect. fidei.) Deinde hoc pacto: *Vera Ecclesia est ejusmodi ager Dominicus, in quo semen vera doctrina crescit, usq. in messim, Crescere autem nequit, nisi per operarios perpetuò missos ad messim, Ergo Ecclesia perpetuos habet pastores sibi invicem succedentes, & sola habet: itaq. vera Ecclesia nota est ista perpetuas successiones.* (ibid. q. 4. part. 2.)

XXXIX.

Imò nomine Ecclesiæ Catholicæ, hoc fundamento nixus, Stapletonus anathema dicit omnibus protestantibus, qui (ut ipse refert) in deserto Ecclesiam querunt, qui quasi deperditâ illi, quam Apostoli plantarunt, ab alio secundo vint: propagandam, & de novo plantandam Ecclesiam docent, qui, quod per Apostolos seminatum fuit, perisse, ideoq. rursus ex Witeberga, Geneva, &c. senendum esse ajunt. Volunt enim isti, ut mendax ipsa veritas in venatio, quæ dicitur semen Evangelii crescere usq. ad messim. (In Cathol. pag. 65, 66.)

XL.

Respond. Missis calumniis, primò perspicuum est cuius, hac ipsa parabola confundi consequentiam: quia etiam zizania debent crescere usque ad messem, ideoque sua quoque duratione & successione gaudere: quemadmodum etiam Pharisaica zizania adhuc per Judæos crescunt. Deinde quoad majorem ex textu petitam, debet quidem crescere triticum, sed hoc non additur, quòd semper, eadem puritate & fertilitate, crescere debeat. Tertio temeraria est petitio principii, in Assumptione: Catholica doctrina, quæ talis, exiit ab Hierosolymis per Apostolos, & inde huc usque crevit: Toti enim Orbi prostat contradictoria pugna inter quàm plurima dogmata Papatus & scripturam Apostolicam.

XLI.

Quod si antiquissimis illis initiis crevit, & crescere debet usque ad finem mundi: Crevit & crevit ut lokiam juxta parabolam & juxta prædictionem Pauli, 2 Thess. 2. v. 7. 8. Nos verò recte subsumimus: Doctrina Evangelica crevit, inde ab Apostolis, licet sub Tyrannidè Antichristi zizaniis permixta & quasi obruta, quæ ut crescere felicius in Lutheranis seu Evangelicis Ecclesiis, non nova seminatione, sed repurgatione opus habuit: quemadmodum & ipsam Ecclesiam profus interiisse in Papatu, & per Lutherum de novo plantatum fuisse, nemo nostrum affirmavit unquam. Crescit etiam eadem Ecclesia & doctrina, eadem successione perpetuâ ministrorum, qua & semper crevit, videlicet non successione locali vel personali, sed successione doctrinæ. Illa enim neque necessaria est, nec si necessaria foret, apud Catholicos demonstrari potest, ut jactatur.

XLII.

Provocamus hac in parte ad confessionem ipsius Stapletoni, qui in Relect. fidei, Contr. 1. q. 5. art. 3. pag. 148. viginti quinque schismata, hoc est, lacunas & defectus successionis ordinariæ Paparum concedit: Ejus verba ita habent: *Quamvis enim 25. essent ad summum schismata, & ex illis tria longius duraverint, videlicet decimum & octavum & decimum nonum annis 20. vicesimum quartum annis 40. alia tamen paucis tantum diebus duraverunt, ita ut omnia schismata pariter computata non amplius conficiant, quàm annos 224. & menses decem, hæc tenus ille*

XLIII.

Verum quintum etiam & ultimum argumentum audiamus: *Non triticum, sed zizania sunt dogmata pessimos fructus ferentia: Talia autem*

s. argumen-
tum à malis
fructibus.

sum

sunt Evangelicorum, E. nec tulit uspiam) scribit Bartsc.) nec ferre omnino potest infelix ministrorum nostrorum predicatio alios fructus: quàm PESSIMOS, hoc est. in rebus fidei dissectionem, absque omni remedio concordia ullius ac legitime unionis restituenda: & in rebus morum Christianorum omnimodam corruptionem, quin flagitiorum omnium scaturiginem, fœdissimam illam & interminuam, absq; omni remedio pietatis solide redintegranda. Zizania mera seminant, non vivificum vitæ ac filiarum regni cœlestis semen (Tom. 2. pag. 690.)

XLIV.

Respond. Provocamus hac in parte ad ipsam Pontificiorum disputationem, contra Anabaptistas & Catharos, ex hac ipsa parabola, & exemplis omnium temporum, quòd ne sanctissimi quidem ecetus Ecclesiæ, imò nec familiæ Patriarcharum, prorsus absque scandalis, unquam floruerint, id verò culpâ Diaboli & improborum organorum ejus, nequaquam autem culpâ doctrinæ, aut Ecclesiæ ipsius aut Doctorum.

XLV.

Erantne fructus boni, quando ipsi Pontifices Romani, Christi scilicet vicarii, Magi, Simoniaci, inascolorum concubitores, abnegatores certorum fidei articulorum &c. fuerunt? Nonne ipse Papa Adrianus VI. in legatione ad conventum Noribergensem, Anno 1523. confessus est: *Plurimis annis graviter multisq; modis peccatum esse Romæ, & inde à Pontificio culmine, malum hoc atq; luem, ad inferiores omnes Ecclesiarum præfectos, defluxisse: NEMINEM enim esse, qui suum faciat minus, aberrasse OMNES, & ne unum quidem ex omni numero vacare culpa.* Item: *Quòd ERRORES atq; vitia, de quibus compertum habeat, non statim emendet, hanc esse causam, quòd morbus iste, quem sanare cogitet, admodum sit inveteratus & MULTIPLEX.* (Sleidanus libr. 4. mihi fol. 71. b.)

XLVI.

Quando autem Papistæ non desinunt huic doctrinæ, quæ undique doctrinæ Apostolorum consona demonstratur, causam flagitiorum & scandalorum per se imputare: non tam nobis, quàm Spiritui S. mentiuntur & maledicunt, Actor. 5. suamq; judicium ferent. Nos inficiamur, & parati sumus, secundum omnes & singulas minutissimas partes doctrinæ nostræ, in August. Confessione breviter comprehensæ, ostendere, quanto zelo oppugnare studeamus regnum

renebrarum, tum quoad dissidia doctrinae, tum quoad corruptiones morum, proli dolor, in universo mundo grassantium.

XLVII.

Illam tantum doctrinam, quae PER SE malos fructus fert, haeresis Pseudoprophetarum est, juxta doctrinam Christi, *Matth. 7. v. 16. 17. 18.* Unde contra Papistas jam subsumimus: *Sed Pontificia doctrina PER SE parit pessimos fructus. Ergo per se ad zizaniam pertinet.* Minor à nostris saepe probata: nunc pauca tantum attingo. Dogmaticè introducunt Pontificii electitios cultus, idolatriam, contemptum scripturae, dubitationem & dissidentiam erga Deum, perjuriam contra Magistratus (quae ex virtute Papalis à juramento absolutionis, aliquoties Gallia & Anglia experta est) caedes & parricidia, contemptum parentum, quem apud religiosos inter opera perfectionis numerant, fornicationes, quas conjugio Sacerdotum & Monialium praeferrunt, &c.

XLVIII.

Id quod obiter, de defectu omnis medii, vel ad dissidia religionis componenda, vel ad scandala intercipienda, fingit; propria imaginationis idolum est, qua dementatus existimat, nisi Tyrannis Papae dictatoria, & Hispanica inquisitio, vel remedia à I. Paulo Windek aliisque enumerata dominantur, obviam iri malis non posse: cum nos sciamus, optimum & unicum remedium, adversus errores doctrinae & morum, esse sacram scripturam, quam nostrae Ecclesiae summa cum reverentia tractant, *Deut. 17. Rom. 12. Petr. 4. Matth. 22. Luc. 16.*

XLIX.

Atque haec quidem paulò fustius de parabola depravatione, quò nos adversariorum confidentia abripuit, qui ad hoc Evangelium ceu ad arcem quandam causae suae adversus nos, confugiunt, iis modis, de quibus breviter, &, ut opinor, sufficienter dictum est.

L.

5.
De animad-
versionib. er-
ga malos.

Verum adhuc circa eandem voluntatem Patrisfamilias: *Sinite crescere*, partim securitas hominum derogat ministris verbi duriorum severitatem increpationum, anathematis & excommunicationis, qua zizanias obviam ire solent: partim Anabaptistae jus gladii politici infringere conantur, quasi non liceat Magistratui è medio tollere latrones & alios malignos.

LI.

Sed respondetur: Eradicatio prohibita est, & quidem illa, quae sine damno boni tritici suscipi nequit, videlicet ex praecipiti & intem-
pessi-

pestivo seu nimio zelo, extra limites charitatis, bonæ spei, patientiæ & mansuetudinis exorbitante. Alias vigilantia & industria pro cohibendis zizanii, ne totum agrum occupent, non solum licita, sed etiam præcepta, *1 Tim. 4. Ezech. 3. 1 Cor. 5. Job. 20. Matth. 18.* & exemplis Apostolorum commendata est (Chm. Postill.)

L II.

Anabaptistas quod attinet, cogitandum, quod Christus hac parabola non regnum terre Regum Christianorum, sed regnum cælorum pingat, quæ duo regna cum non contraria, sed tantum subordinata sint, suis tamen distinctis legibus gaudent: propter quas aliter antistites plantandarum Ecclesiarum, *Luc. 22. Matth. 20.* aliter præfides sceptri politici, informandi fuerunt. Regula Magistratus perspicue extat, *Rom. 13.* cui hæc sententia de regno cælorum opponi non debet. Et quando Magistratus malificos gladio tollit, non tollit quæ zizania, sed quatenus leges politicas violarunt.

L III. § 65.

Deterius autem est illud consuetarium, quod sibi Jesuitæ, aliis perpetuo classicum canentes adversus quosvis à sua religione dissentientes, ex hoc præcepto parabola fabricant: Sinite crescere, ne coligentes zizania eradicetis simul triticum. Hinc enim Johan. Paulus Windeck, & gregales consilium suum fraudulentum probare conantur, quod parcendum hæreticis (quos quidem Papistæ pro talibus habent) observanda pacificationes & fœdera religionis, adeoq; pacificationis Passaviensis formula, sanctissimis legibus, & juramentis sancita: concedenda licentia aliam religionem exercendi; servanda fides data hæreticis, diutius non sit, quæ dum vel Catholicos vires destruant, vel periculum aliquod metuum est.

L IV.

Ex quo Diabolico principio promanant tot sanguinolenta consilia, tot licariæ molitiones, contra pacem Religionis, ita dictam, & hæctenus salutariter in Romano Imperio observatam; contra pectora Regum & Principum; contra tranquillitatem publicam, & pro executione Concilii Tridentini, ad eversionem Ecclesiarum Evangelicarum directa, quæ ætas nostra in Germania, Gallia, Anglia, Belgio, & in intimis quoque aulis Imperatorum & Principum, experitur, quæ scriptis publicis, ceu suscitabilis bellorum intestinorum, promulgantur, & jam dudum in cruentissimam executionem dedu-

6.
De Papistarum fraudulencia, dum viribus Soc. casis nocent: destruantur.

Et a essent, nisi excubiæ Altissimi nobis præsidio fuissent (vid. Prognost. Pauli Windeck, & Fr. Burckardum de Autonomia.)

LV.

Quid enim manifestius est in hac parabola, quàm illud, quod ministris eradicatio, de qua sermo est, non tantùm eò usque, donec ipsi occasionem & vires assequantur, sed prorsus & simpliciter prohibita fuerit, reservanda scilicet usque ad messem, & reservanda longè aliis executoribus, quàm qualibus nunc ministerium, in domo Ecclesiæ, ordinariè commissum est.

LVI.

Quamvis enim (ut deinceps plenius apparebit) hujusmodi *truncatæ*, seu prudentem cunctationem erga errantes quosvis, suis ex causis licitam, non impugnemus: apud Papistas tamen ea nihil aliud est, quàm latibulum tyrannicæ malitiæ, & scaturigo consularum fraudum, quæ omnibus cordatis viris, etiam extra Ecclesiam, in conventis & promissis, intolerabiles & sceleratæ videntur.

LVII.

Quia verò non solum hac modò dicta depravatione, ut & illa, quam Costerus versiculo 30. de exurendis tandem zizaniis allinit, *Hereticis flamma debetur*, in hanc materiam provocamur: sed etiam ipsa Evangelica gnome in pio usu, salutariter ad rem consulere potest: abs re non fuerit, si de singulis quæstionibus, paulò ante commemoratis, sanam sententiam Christianæ Ecclesiæ, in gratiam discernentium, breviter proponam.

LVIII.

Quærenti igitur, an præter unius veræ religionis, etiam alterius exercitium, à pio Magistratu priori addicto, certo casu & sine pie, hoc est, salvâ conscientia, salvâ fidei & charitatis lege, concedi queat: affirmatè respondemus: non tamen eò sensu, quasi præter unicum plures veræ esse, aut promiscuè pari passu ambulare possint, aut sine periculo utrilibet pro lubitu assèri, aut Magistratui politico, ex plena potestate, circa sacra dispensare liceat, aut quasi contradictionis, adversus errores, apud Orthodoxos silere debeant: Sed PERMISSIVE, conivendo ad ea, quæ per ordinaria media, vel ministerii Ecclesiastici, vel tranquillæ gubernationis, salva mansuetudine Christiana & sine extremo periculo ipsius Ecclesiæ & patriæ, omni fidelitate adhibita, tamen mutare non licet: ita tamen, ut post datam etiam concessionem nihil omittatur, quod ad meliorem informationem errantium,

7.
An & quomodo ad ver-
sa religionis
exercitium
concedi pos-
sit?

Sum. 23. ty.
p. 299

vel per fidelem institutionem ex sacris literis, vel aliis tranquillis medijs facere, in primis autem errores perspicue manifestare possunt.

LIX.

Affirmationis rationes primariae sunt istae. ¹ Quia Monarchiae atque omnia regna & principatus non ideo sunt vel constituti divinitus, vel conservati, ut quae tales, sint ipsa Ecclesia, aut ipsam Ecclesiam & regnum caelorum plantent, sed ut hospitium praebent Ecclesiae per spiritualia media plantandae: unde rigor eorum eo usque grassari nequit, ut Ecclesia de hospitii tranquillitate periclitari cogatur. ² Custos quidem est utriusque tabulae quilibet Magistratus fidelis, non tamen ita, ut prepostero zelo, pro primae tabulae cultu, pacem publicam, altera tabula nitentem, evertere sinat. ³ Quemadmodum religio Christiana, non gladio, sed tantum armis spiritualibus propaganda est *2 Corinth. 10. Esa. 2.* ita nec propter religionem externa tranquillitas est violanda. ⁴ Memorabilis est, & vera sententia Maximiliani II. Imperatoris: *Nullum peccatum gravius est, quam conscientis dominari velle* (apud Springerum, de pace religionis, pag. 77.) ⁵ Quia Christus ipse in nostra parabola hoc consilium dicitur (quod & Papatum, hujus quaestionis aliam impugnatorem, pro tempore, quando suis commodis favent, captant, & captandum esse docent) Concedendum esse locum & incrementum loliis propter hanc causam, ne triticum aliquid detrimenti per eradicationem patiat. Haereses autem sub istis zizaniis principaliter comprehendendi, infra patebit. ⁶ Propter exempla Biblica, quia Assa, Josaphat & Joas, piientissimi reges, zelo asserendae sinceritatis non tepide calentes, tamen, approbatione alioqui non ferenda (*Exempli gratia, sacrificia in excelsis*) benignè connivendo tolerarunt: Quemadmodum & David, *2 Sam. 8.* & Salomon, *1 Reg. 4.* in primis Nebucadnezar jam conversus, *Daniel 3.* & Cyrus, *Esd. 1.* cum multos subditos & subjectas regiones haberent, à vera religione alienas, non tamen illos vi ad hanc adegerunt, aut religionis causa bellis intestinis occasionem praebuerunt.

LX.

Quae cum in genere ita sese habeant, quando tamen cuiquam Magistratui Christiano praxis hujus negotii, pro re nata incumbit accuratissima illi circumspectio & consideratio omnium circumstantiarum gloriae divinae, tranquillitatis regionum, &c. adhibenda est, quod justà symmetriam consiliorum, Ecclesiae & salvandorum conscientiarum rectissimi-

rectissime consulatur. (Vide Polycarpum Lyserum, in Duello Glöseliano.

LXI.

Et sanè, nisi piè consentire liceret ad tolerantiam erroneam adhuc religionem exercentium, neque salva pietate & conscientia potuissent fideles vel rogare talem pacis formulam, vel in eandem, à Cæsarea Majestate, consentientibus statibus Imperii, impetratam, consentire, qua Pontificii a què ac ipsi sua libertate gauderent.

LXII.

Verùm hoc ipsum, ait, nunc potissimum in controversiam vocatur, an *consilia de iis illa licita nunquam fuerint*, & adhuc inconcussum suum vigorem ac firmitatem obtinere per conscientiam debeat? *Licentiam non fuisse*, ideoq; neminem obligare, docent nunc Jesuitæ quasi uno ore, quia cum hæreticis Catholicæ nulla pax esse possit, quia *conditio iniqua & blasphema sit, permittere hæreticis*, (nempe in Concilio Tridentino damnatis) *ut libere doceant*. Burckardus in Autonomia sua, & Windeck in Prognostico, præter alias ratiunculas politicas, præcipuè has urgent. ¹ *quod libertas illa sit. De extortâ Imperatori*, ² *obreptiua nata*, ³ *& tantum ad tempus usq; ad Concilium Tridentinum dura.*

LXIII.

Falsissima autem sunt omnia, ¹ Ipsa formula, ad quam etiam successores in Imperio expressè obligati sunt, terminum ad quem durationis, non Concilium Tridentinum, sed indefinè compositionem dissidiorum præfigit. *Wiß vñ Christiliche vñ freundsliche vergleichung der Religion.* ² Qua audacia obreptiu dicitur, quod non solum Imperatoria autoritate & consensu statuum diu deliberatum, & postea Augustæ promulgatum, sed etiam deinceps consensu successorum ratum habitum, & in totius Imperii summo iudicio, Cameræ scilicet, ipsa praxi hæctenus observatum est.

LXIV.

Contra extorsionem per vim factam loquuntur omnes historie; imò parietes quasi hujus mundi: Saxoniz Elector tùm captivus detinebatur; supplex devolvebatur ad Imperatoris genua. Hassiz Landgravius, custodie statim mancipatus; præter Bremenses & Magdeburgenses, potentissimæ Imperii civitates ad unum omnes defeecerant. Illenè sunt, quæ vi ferroque extorserant religionis libertatem? (Verba Springer, pag. 23.)

LXV.

Dicere autem, quod blasphemum sit, cum hæretico etiam reueratali, foedus externum ad concordiam religionis pacificæ, est mera petitio principii. Nos revocamus Lectorem ad rationes supra enumeratas, ut & ad modestam æstimationem piæ prudentiæ, quæ omnino Illustrissimis Autoribus istius pacificationis deroganda non est.

LXVI.

Refellemus tamen in specie illam thesin Papisticam, quod hæretico non sit servanda fides, sequentibus rationibus. ¹ Quia juris gentium est, etiam hosti servare fidem, multo magis hæreticis tranquille viventibus. ² Exemplis Sanctorum, qui foedera externa cum fidelibus inierunt, & sanctè coluerunt; *Genes. 21. 26. 31. Josue 2. 9. 2 Samuel 21.* ³ Quia ipse Jehova consimile pactum, suum vocavit, & dissolventi certissimam pœnam comminatus est, *Ezechiel 47. 26.* ⁴ Quia ipsi contradicentes hujusmodi foedera ab aliis petunt, quæ certè rata haberi volunt, & vicissim Judæis concedunt, imò etiam nobis (quos pro hæreticissimis habent) ad tempus permittendam esse pacem docent: quibus autem dare fidem fas est, usdem frangere nefas. ⁵ Propter regulam Pauli, quantum in vobis est, cum omnibus pacem colite. ⁶ Fides conjugalis, certè arctissima, est servanda hæretico, *1 Corinth. 7.* Ergò etiam aliæ & laxiores obligationes, intelligimus autem semper pacem externam, quæ ab omni syncretismo ipsius religionis, ut & ab omni approbatione errorum, aut dissimulatione veritatis, liberrima est.

^{9.}
An fides sic
servanda hæ
retico?

LXVII.

Quod si igitur aliàs indubitati juris esset, è vivis tollendos esse, non solum hæreticos, sed etiam seductos ab hæreticis, nullum tamen adversus nos jus haberent Pontificii Romano Imperio subjecti, absq; perjurii crimine, propter interpositam obligationem.

LXVIII.

Multo igitur minus habent juris, postquam nullis bonis in Catholica Ecclesia placet, ut ad mortem usque in quenquam licet hæreticum, serventur, juxta August. lib. 3. contra Cresc. cap. 50.

LXIX.

Probationem depromit ex nostro Evangelio Chrysoströmus his verbis: Dominus prohibet, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici vellant, quod dicebat, ut bella & EFFUSIONEM SANGVINIS prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, absque foedere pacis, & absq; induciis bellum

10.
An hæretici
e his tol-
lendi?
vid. de c. 3.
de r. 20.
de c. 27. §. not.
de c. 25. in p. 29.

orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit, altera, quia frumentis parum nocerent, altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. (Consentiunt Augustinus, Hieronymus, Erasmus Roterodamus in Paraphrasi super eundem textum.)

LXX.

Ubi obiter annoto, cum Bellarminus circa hunc locum effugium hoc quaerat, non de hæreticis, sed in genere de omnibus malis Christum loqui: ex diametro ipsi contradicere Jesuitam Bartesium, qui per aliquot folia diversis demonstrationibus urget, hunc locum de hæreticis principaliter accipiendum esse, Tom. 2. pag. 651. Et sanè nisi priori loco in verbis, Sinite crescere per zizania hæreses intelligantur, nec in fine Evangelii ab exustione licebit argumentari, cum Costero, Ergo, hæreticis ignis debetur.

LXXI.

Quamvis autem hæc quaestio, de puniendis hæreticis, ad officium politici Magistratus pertineat, cui Evangelica doctrina, neque leges, neque poenas adversus malificos præscribit, ut qui etiam à divinis legibus fori Judaici prorsus liber est: tamen, quando ex adytis Theologicorum principiorum conscientie Magistratum sunt informanda, quidnam tutissimè de coercendis aut puniendis hæreticis (hæreticis inquam pertinaciter, post omnes admonitiones, suum errorem, contra fidei fundamentum, propugnantibus, aliàs ad omnia obsequentibus & fidelibus) statuere & exequi debeant, Pontificii quidem, & ipsorum erudi imitatores Calviniani aliqui, gladium stringere jubent: sed sinceri Doctores sequuntur mitiorem illam sententiam, cui parabola Evangelica favet.

LXXII.

Cumque penes Magistratum pium sit, pro ratione circumstantiarum vel exasperare, vel mitigare poenas, nunc Tyrannidis Pontificiæ & Hispanicæ inquisitionis ita propria est & incontinens, ideoque etiam modestis quoque Catholicis (propter sceleratas quasdam laticenas in Gallia, Belgio, & alibi factas, vide Spring. de pace relig. pag. 78.) xoxosa, sitis sanguinis omnium non Catholicorum: ut vel ob solam fugam hujus notæ Antichristianæ, Dan. 7. vers. 25. 11. v. 13. Apoc. 17. v. 7. 17. vers. 6. Christianis Magistratibus displicere deberet poena gladii, quantumvis antea in usu fuisset.

LXXIII.

Cur autem adhuc dum omnibus piis Magistratibus placuerit tantum coercere hæreticos, ne noceant, aut, pro explorato eorum studio

studio seducendi, præter fulmen excommunicationis Ecclesiasticæ: eos exilio vel carcere mulctare, semper autem à capitali supplicio abstinere: causæ non contemnendæ in promptu sunt, præter consilium nostræ parabolæ.

LXXIV.

Primo enim liquidò ostendi nequit, legem Deut. 23. ad moralem legem pertinere, ideoq; omnes gentes obligare: præsertim cum non per omnia eadem sit ratio idolatriæ istius, de qua lex loquitur, & hæreticos in Novo Testam. (Rungius disp. in 13. Rom.)

LXXV.

Deinde, Magistratus in conspectu habent, praxin, universæ Ecclesiæ Novi Testamenti, memores, etiam pertinacissimos hæreticos Arium, Nestorium, Eutychem, aliosq; (qui tamen ipsi non raro sanguinaria consilia moliti sunt, ut Nestorii exclamationem ad Cæsarem Eusebius annotavit: *disperde mihi hæreticos, & ego disperdam tecum Persas*, lib. 7. c. 29.) anathematismis quidem Conciliorum damnatos, coërcitos, exilio mulctatos, non tamen è vivis sublato esse.

LXXVI.

Tertio, quemadmodum in genere Ecclesiam mansuetudo & spiritus lenitatis, *Luc. 9. vers. 54.* non crudelitas; persecutionem ferre, non inferre, decet, *Matth. 10. Actor. 24.* Ita Apostoli, quando ex professo de processu erga hæreticos agunt, benignissimos hos limites statunt, *exhortari & vitare, Rom. 16. Philipp. 3. Tit. 3. Matth. 7.* nunquam ad Magistratum deferre jubent.

LXXVII.

Quarto, quia hæreticorum culpa, non ut aliorum maleficorum corporalis, sed spiritualis est, ideo corporaliter non puniendi: Et præterea periculù interitus æterni coincideret istis suppliciis, quod posset fortè adhuc intercipi, si ad conversionem, tempus, occasio & media concederentur. (Meissn. Sobria Philosoph. part. 1. pag. 628.)

LXXVIII.

Quinto, quia, ut ad fidem nemo cogi potest, ita contra incredulitatem, quæ talem, violenta ejusmodi remedia non conveniunt: neq; etiam seductio illa, qua implicantur, hæreticis Doctõribus attendentes, analogam injuriæ aut damni rationem habet, qualis in aliis maleficis capitis poenam meretur.

LXXIX.

In primis autem (ut ad nostrum textum redeamus) quo pareatur

tritico, aliter fieri non debet. Ubi enim grassatur gladius adversus alteri is religionis reos, plurimis, ut dixi, præcluditur via salutis; prætextu inquisitionis in hæreticam pravitatem multi innocentes tolluntur è medio; occasio præbetur apostasie & hypocrisis: quæ omnia ad detrimentum puri tritici cedunt (vide Andr. Osiand. disput. de Inquisitione Catholica.)

LXXX.

II.
De libris hæreticorum.

Quemadmodum autem parabola, contradicens violentæ eradicationi zizaniorum jam crescentium, tamen non prohibet, sed potius præcipit vigilantiam, ne zizania ingruant, aut radices agant, unde etiam zeli ministrorum verbi & reliquæ moderatæ cohibitionis ratio & necessitas promanât: ita de libris hæreticorum distinctè sentiendum, & circumspicere providendum est, ne vel usus, qui ad doctos promanifestatione errorum redire potest, intercipiatur; vel abusus simplicibus plurimum noceat, cum, juxta Erasmum, nihil magis venenatum sit malo libro (Schlüsselb. in Theol. Calv. part. 3 art. 4.)

LXXXI.

Hoc primario elencho de zizaniis contra adversarios expedito, restant pauca particularia, breviter (quia aliàs quoque occurrunt) perstringenda.

LXXXII.

II.
Ecclesia vera etiam sub corrupto ministerio.

Quia videlicet zizania in vero & frugifero agro Ecclesiæ crescunt, & ex prædicatione CHRISTI crescent usque ad messem: retunditur iterum paralogismus Papistarum, quo nos alioqui arctè constringere volunt, quasi nostrâ querelâ de corruptissimo statu Ecclesiæ superioribus mille annis, ipsa Ecclesiæ perpetuitas & continuatio abnegetur, sicut præcedente Dominica vidimus: Nunquam enim, à corrupto ministerio, ad prorsus nullam Ecclesiam, argumentari licet, sicut à semente lolis intermixta, ad nullum triticum, pessime concluderetur.

LXXXIII.

Vicissim autem nec à concessione Ecclesiæ electorum argumentari licet ad approbationem religionis, ad omnimodam veritatem, doctrinæ, & ad sinceritatem ministerii, pro ut illud communi cursu fertur, in sensum incurrit & Ecclesiæ titulum jactat, quasi in illo nihil amplius reprehendi debeat: quemadmodum tamen Papistæ suis clamoribus persuadere nituntur.

LXXXIII.

Hoc tamen loco ipsi vis veritatem extorquet, quam ipsam tamen, non nisi ad suum compendium fatentur, videlicet passim mixtos esse Catholicos hæreticis, præcipue magnam multitudinem infantum per baptismum & ante annos discretionis salvari, ait Bartscius, pag. 774. alibi etiam ad Lutheri demonstrationem Ecclesiæ sub Papatu, quæ extat in libro, de Milla privata, provocans, simili tamen instituto, ut neget, sævillius Papæ Romani organa Satana fuisse, pag. 826.

LXXXV.

Sicaries validus est adversus Pontificium argumentum à multitudine, ab antiquitate & successione petitum, pro demonstranda vera religione, quod Christus affirmat, etiam zizania crescere, & crescere usque ad messem.

LXXXVI.

Intellexit hoc Bartscius, ideoque pag. 737. in hæc verba erupit, *facilius esse integra regna hæretica facere, quam unam urbem ex gentili Catholicam.* Et pag. 758. *hæresis in genere suo aequè florere potest, ac fides Catholica in suo,* pag. 762. *stultissimum esse ex flore zizaniorum Dei gratiam estimare,* & pag. 764. *mirum esse, non longe majorem benedictionem, hæreticis temporariam obtingere: Nihilominus, ne quid Pontificio argumento decedat, affirmat, Semper tamen majorem esse Catholicorum multitudinem & felicitatem temporalem,* pagina 766. quasi CHRISTUS nunquam pusillum gregem suam Ecclesiam vocasset, cruce & perfectionibus subiectum!

LXXXVII.

Præcipue verò Donatistæ, cùmque illis sentientes Anabaptistæ, ex pictura hujus agri Dominici confutandi sunt, præeunte B. Augustino, in libro 2. contra Adversarium legis & Prophetarum, cap. 2. CHRISTUS, qui de seipso verissime dixit, *Ego sum via, veritas & vita, servus de colligendis zizaniis querentibus respondet: Sinite utraq; crescere usque ad messem: Donatus autem dicit, Zizania quidem crevisse, frumenta vero esse diminuta, Elegant isti, cui credant. CHRISTUS, id est, veritas, dicit: Ager est mundus. Donatus autem dicit, Agrum Dei in sola Africa mansisse, Elegant, cui credant. CHRISTUS dicit: In tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania. & exponit dicens, Messis est finis seculi: Donatus autem dicit, per præcisionem partis suæ, ante messem a frumentis zizania separari. CHRISTUS dicit, Messores sunt Angeli. Donatus autem dicit, se atq; collegas suos hoc fecisse ante messem, quod ille dicit Angelos*

13.
Multitudo,
antiquitas,
successio, non
sunt nota Ec-
clesiæ.

14.
Ecclesia be-
ra habet ad-
mixtos ma-
los cõtra Do-
natistas.

facturos in messe. CHRISTO ergo credant dicenti: quod per totum mundum & filii regni crescant, & filii maligni: non Donato dicenti, quod per mundum filii maligni tantummodo creverunt, filii autem boni usque ad solam Africam diminuti sunt, hactenus Augustinus: Ex quo hæc annotavi, ut simul de Donati hæresi plenius juventuti constaret.

LXXXVIII.

12.
Deus non est
causa hære-
sium, nec a-
liorum ma-
lorum.

Denique militat hæc parabola (Paterfamilias tantum bonum semen seminavit, neque sibi sementem zizaniorum transcribere passus est, quin & ægrè tulit, & de longanimitate quidem sua, sed quæ tandem gravitate pœnæ compensaretur, concionatus est, vicissim asserens, *Inimicus venit & zizania noctu seminavit*) militat, inquam, contra eos, quos Philastrius ita describit, *quod tradiderint, Malos reges & Pseudopphetas non à sua venire & fieri voluntate, sed à DEI jussione eos venire, contra Jerem. 23. Matthæi cap. 7.* (Philast. folio 47.)

LXXXIX.

Postquam autem illi, ad quos Philastrius, sive Valentinianos, sive alios, respicit, dudum ex Ecclesia profligati sunt: nunc obvertendus est hic locus parabolæ istis Calvinianis, qui cum Petro Martyre, *1. Samuel. 16.* expressè, *Deum causam omnium peccatorum constituunt*, suamque thesin ita explicant, quod Deus ad malas actiones non solum deserendo, aut permissivè, sed etiam ordinando & EFFECTIVE concurrat: quemadmodum perspicuis testimoniis Autorum,

tum alii, tum Andreas Schaafmanus in libr. 1.
de causa peccati, cap. 1. ostenderunt.





DISPUTATIO V.

DOMINICA SEPTUAGESIMA,

Matth. 20. 1.

I.



trum harum Dominicarum (Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ) Prima, à numero dierum, ab ea ipsa usque ad Dominicâ vel Passionis, vel in Albis, sequentibus: an verò, ultima præcedentibus, causam appellationis in Veteri Ecclesia præbuerit; vel quæ origo & causa appellationum fuerit: etiam apud eos incertum est, qui harum rerum curiosi sunt indagatores.

De appellatione Dominica.

II.

Integro capite 14. libr. 3. de cultu Sanctorum, Bellarminus diversas sententias confert, quas in medio relinquimus: ut & mysteria illa Franc. Costeri, qui ad septem ætates mundi applicat, Conc. part. 2. pag. 482. Nos liberè nomina ista retinemus, etiam si fortè vera causa impositionis dudum expirarit prorsus: quemadmodum & dies viridium, dies cinerum, Dominica in albis, & similes, nunc tantùm ex consuetudine ita appellantur.

III.

De Vineâ etiam, cum diversæ extent sententiæ, Theophylacti de anima humana; Athanasii de mundo, Aliorum de Deo ipso interpretantium (referente Costero. p. 486.) Vera tamen & simplicissima est eorum, qui de Ecclesia militante in his terris, cum Origene, Gregorio & reliquis Patribus explicant, adjuti stylo scripturæ, Esa. cap. 5. Psalm. 80. Matth. 21. Aploque hujus Evangelii exordio, simile est regnum cœlorum, &c.

Quid per vineam intel- ligatur?

Unica

VIII.

Ideirò memores admonitionis B. Lutheri (quam etiam Chemnitius, in loco de Arbitrio, ex Hieronymo inculcat.) non omnes & singulas partes parabolarum, curiosè examinandas esse (In Postill. Eccles.) potissimum ad principalem scopum respiciamus, & ex eo reliqua omnia æstimemus.

IX.

Præsertim cum etiam de *Denario* non levis difficultas curiosius scrutantes fatiget. Si enim cum Pontificiis præcisè vitam æternam intelligas, murmurantes, qui omnino denarium acceperunt, invidiâ & oculo nequam infames, extra numerum electorum positos, adduces in Beatitudinem æternam; & admittere cogeris, quòd pii, per integrum diem laborantes, præmium vita æterna majus postulaturi sunt.

De denario.

si peccata viderentur

X.

Certè Costerus ineptissimè argutatur, denarium numerum in vita æterna supputans, cum nondum probatum reddiderit, an vita æterna hujus denarii appellatione notetur: *In vita*, ait, *septem habemus dona, vis animæ, intellectum, voluntatem & potentiam: quatuor corporis, frigus, calorem, siccitatem, humorem, quæ inclinationes nostras causant: In vita æterna accedent, Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, (part. 2. Conc. pag. 515.)

XI.

Quidam Græci, quia vesperam pro resurrectione à mortuis, mercedem verò vitam æternam interpretabantur, eò delapsi sunt, *ut animabus sanctorum ante resurrectionem beatitudinem visionis Dei denegarent*, (alleg. Bellarm. lib. 1. de beatitud. cap. 1.)

XII.

Si sola temporalia bona præsumas, Electis ea ut minimùm competunt: *Irenæus* denarium vocavit agnitionem Filii Dei, ceu imaginem & inscriptionem regis; *Aretius* omne id, cujus respectu aliquis Christum sequitur, *Alii* simplicissimum judicant, si pro denario habeantur, suæ cujusque promissiones, videlicet vel præfens status, vel gubernatio Ecclesiæ, vel ipsa promissio Evangelii, vel alia bona corporalia (Chytr. Commentar. pag. 331.) *Erythrop.* cum aliis intelligit Messiam cum omnibus beneficiis, quem *Judæi* gentibus serò vocatis semper inviderunt. Vix tamen omnibus circumstantiis parabolæ ex æquo satisfieri potest, nisi unicè à scopo pendeas; cujus intuitu

Si sola temporalia

F. r. e. l. h. l. v. i. n. t. p. o. p. t. i. o. n. e. s. u. l. t. e. t. h. o. m. i. n. i. b. u. s. l. p. c. o. r. g. r. o. s. s. i. l. i. v. i. d. e. r. e. t. u. r. p. i. o. r. i. b. u. s.

minimè necessarium esse constat, ut idem hypocritis & electis de-
tur, vel de ipso denario per se tam anxie quaratur (Artomedis Po-
fill.) Unde etiam *Hilarus* per denarium obedientiæ præmia in ge-
nere intellexit.

XIII.

His præliminaribus ita positis, nunc redè progrediendum est,
ad primariam & quasi peculiarem hujus Evangelii controversiam,
de dignitate operum coram Deo: circa quam, cum certum sit totam pa-
rabolam ex partibus nostris stare, nihilominus Pontificii, ut illa me-
retrix in historia Salomonis, *1 Reg. 3.* hunc vivum infantem itidem sibi
poscunt, hoc est, perpetua confidentia clamant, hanc parabolam de
conductis operariis, de propofita & distributa tandem mercede,
prorsus suum de bonis operibus dogma stabilire omnesque contra-
dicentes confundere.

XIV.

Hac itaque methodo causam hanc coram omnibus piè secun-
dum normam scripturarum judicantibus deinceps disceptabimus, ut
primò nostram orthodoxam sententiam falsitatibus oppositam, ex
scopo & circumstantiis parabolæ ostendamus: postea verò Papista-
rum argumenta huic Evangelio extorta, sive effugia potius, consi-
deremus & evertamus.

XV.

Protestamur igitur ante omnia (id quod etiam sexto articulo
Augustana Confessio facit) nunquam Ecclesiis nostris in mentem ve-
nisse, necessitatem, seu debitum studium, bonorum operum vel nega-
re, vel dissimulare, vel in dubium vocare, aut cum Eunomianis, Liber-
tinis, & similibus fanaticis colludere: quemadmodum adversarii
malitiosè cavillantur (Bellarm. de Formul. Concordiæ menda-
cio 7. colum. 1186.)

XVI.

Inculcamus enim nostris auditoribus ex hac ipsa parabola, ne-
minem ocii vel petulantix causa, in viciniam Ecclesiæ gratiosa voca-
tione Dei adscitum esse, sed ad laborandum, juxta prescriptum patris-
familias, *Ti. 3. vers. 14. 1. Thess. 4. vers. 3. 7.* Urgemus operum necessita-
tem multis modis, respectu Dei, cujus mandato, *Ezech. 20. v. 19.* bene-
ficiis, *Malach. 1. vers. 6. Ti. 2. vers. 14. 1. Corin. 6. vers. 11.* gloriæ, *Matth. 5.
vers. 16. Rom. 2. vers. 24. & exemplo, Luc. 6. vers. 36. Matth. 11. vers. 29.*
omnem sanctimoniam debemus: respectu nostri, ut mercedem pro-
missam

Bona opera
sunt necessa-
ria.

raissiam accipiamus, *vers. 4. & 7. 1. Timoth. 4. v. 8. iram Dei effugiamus,*
vers. 6. Matth. 3. vers. 10. Spartam nostram ornemus, Ephes. 5. vers. 8. Om-
 nem malam speciem evitemus, *1. Thessal. 5. vers. 22. Et respectu proxi-*
 mi, cui prodesse, *1. Petr. 4. vers. 10. & bene prælucere, Philipp. 2. vers. 15.*
Matth. 18. vers. 7. jubemur.

XVII.

Agnoscamus etiam non tantum varios gradus & species bono-
 rum operum in diversis hominibus, quorum alii plus, alii minus, alii
 facilius, alii difficilius inter varias crucis pressuras, alii diutius, alii tan-
 tum ad horam, alii patientius, alii cum murmure, laborant: sed etiam
 ejusmodi respectum operum coram Deo, ut cum operibus vere fide-
 lium principaliter promissiones temporalium & æternorum præ-
 miorum propositæ sint, tamen etiam non renatorum operibus, ex-
 ternam aliquam cum lege Dei conformitatem habentibus, aliqualem
 compensationem, videlicet per præmia temporalia à bonitate Dei
 adscribamus, *Psal. 17. Luc. 16. Matth. 6. quemadmodum hoc loco etiam*
murmurantes tandem aliquam mercedem acceperunt.

*Etiam infideli-
 delium vir-
 tutes Deus
 compensare
 solet.*

*Fanforham.
 h. l. p. 109.*

XVIII.

Interim, non murmurantium, aut ostentatorum, *Luc. 18. Ro-*
manor. 14. Matth. 6. sed tantum verè fidelium opera ex fide facta (licet
 admodum imperfecta, sæpe vix ad horam aut momentum horæ con-
 tinuata, adeoque ad præcedens longissimum ocium collata nihili æ-
 stimanda) tamen placent DEO; videlicet per & propter CHRIS-
 TUM, *1. Petr. 2. vers. 5. Actor. 10. vers. 35. In quo ceu unice dilecto &*
 ipsi operatores acceptissimi sunt, *Ephes. 1. vers. 6. & ipsorum operum*
 defectus teguntur, *Tit. 2. vers. 15.*

*Bona opera
 quomodo
 placeant?*

XIX.

Quando autem opera referuntur ad ipsam salutem & vitam æ-
 ternam, seu ad salvificam gratiam Dei Evangelii propriam, postquam
 semel ineluctabiliter in hanc impotentiam prolapsi sumus, ut legi
 Dei perfectè satisfacere nemo, ne quidem renatorum optimus, va-
 leat: expirat jam omnis dignitas & necessitas operum, unde etiam
 longissimè & accuratissimè in foro justificationis & salvationis illa in
 scripturis excluduntur.

*Opera ad sa-
 lutem nihil
 conferunt.*

XX.

Non quod bona opera per se perniciosa sint ad salutem, quem-
 admodum nonnulli antehac nimis crudè locuti sunt (contrarij enim
 apparet ex nostra parabola, ex concione Christi, *Matth. 25. ex omni-*
 bus ne-

*Non tamen
 perniciosa
 sunt.*

bus necessitatis rationibus supra positis, adeo ut absurdissimum sit statuere, Deum præcepisse, aut vocasse nos ad ea, quæ ad salutem nostram præciosa sunt) sed quia fœdius conspurcari nequeunt, quam si hujusmodi fiducia (dignitati meriti Christi tantum derogans, quantum sibi sumit (in illis collocetur: juxta Paulum, qui hoc respectu, non tantum *καὶ βάρβαρα* & excrementa, sed etiam *Ζυμίον*, & damnum sua opera vocat, *Philip. 3. vers. 7. 8.*

Opera nullo modo ad salutem necessaria.

XXI.

Non facimus igitur cum iis, qui cautissimè quidem loqui sibi videntur, & tamen aliquo modo, sub ratione vel adjuncti necessarii, vel causæ, sine qua non, vel medii, vel efficientis, fatentur, opera bona ad salutem æternæ gloriæ, sive acquirendam, sive conservandam, necessaria esse. Piscatorem intelligo, qui in *Analyti. cap. 1. ad Ephes. pag. 80. ad vers. 4.* annotat: *hæc ipsa nostri sacrificatio actio Dei est, quæ nos inter alias ad salutem adducit, ac promde rationem aliquam causæ EFFICIENTIS habet.* Sic *Medulla & praxis catechetica: Die Seligkeit zu erhalten / gehöret besserung des Lebens darzu / q. 67. Item: Die besserung des Lebens nützet darzu / daß die bekehrung des Menschen vollkommen gemacht / der Glaub vñnd Seligkeit in vns erhalten werde / qu. 70. (Plura similia vide Tom. 1. Disput. Gies. pag. 380. & Locor. Theolog. Gerhards, Tom. 4. pag. 79. 80.)*

XXII.

Multò minùs cum iis, quorum locutiones erant: *Nemo unquam sine bonis operibus salvatus est: impossibile est, sine bonis operibus salvari.* Quamvis enim tales assertiones ad sanitatem, per adjunctam glossam, retrahi fortè queant, videlicet, si de integritate qualitatium in salvandis (in quibus omnino, non ad apprehensionem salutis, sed aliis ex causis, opera necessaria sunt) non verò de causa sine qua non, vel simili accipiantur, hoc sensu, Nemo unquam salvatus est, qui *in omnibus* omnibus bonis operibus caruit: tamen longius recedunt à sanitate verborum Apostolicorum, quibus applicationem justitiæ & salutis describunt, ideoque tanquam evidenter periculose merito vitandæ sunt.

XXIII.

Multò minùs merentur ex condigno,

Omnium verò minimè assentimur Anabaptistis, qui justitiam nostram tantum in vitæ nostræ novitate reponunt (*Disp. Gies. Tom. 3. pag. 340.*) & Papistis, qui bona opera nostra, qualia quidem ex gratia Spiritus sancti perficere in hac vita possumus, causam & meritum

tam salutis, quam justificationis nostræ statuunt, quibus de condigno & jure, gratia & beneficia Dei, ipsa que futura gloriæ æterna vita debeatur, ut infra ex propriis ipsorum verbis super hoc ipsum Evangelium intelligemus.

XXIV.

Illud verò nos constanter negamus, persistentes in thesi supra posita, quòd opera fidelium, etiam optima, nullam dignitatem vel meritum, vel acquisitionem, vel conservationem habeant: sed omnis salus & benedictio nostra, in sola gratia Dei, propter meritum Christi fide apprehendendum reposita sit.

XXV.

Quocirca, quamvis ad incoendendum studium nostrum in exercendis virtutibus Christianis non leve momentum, vel calcar addere debeant promissiones Dei, de præmiis & compensatione, etiam in vita æterna adhuc duraturâ: tamen nec ea intentione facere bona opera, neque in factis hujusmodi fiduciam collocare debemus, quasi de condigno promereri gratiam Dei, aut vitam æternam queant: idque ideo, quia quæcunque facimus, ex mera gratia Dei facimus, illa omnia & longè plura, debemus; hæc que multis modis debita, imperfectè præstamus; ut extra gratuitam condonationem misericordiæ divinæ, ne quidem excusationi defectuum, nedum merito & dignitati ad tam incomparabilem beatitudinem, locus relinquatur.

XXVI.

Super his si consulamus mentem patrisfamilias in nostra parabola, prorsus similem hætenus enumeratis Salvator noster, & ex ore ipsius Evangelista Matthæus depingit: quod manifestum evadit cuiusvis, qui scopum parabolæ, ipsam remunerationem operariorum, & verba patrisfamilias diligenter observat.

XXVII.

Scopus hic est; Christus per parabolam vult demonstrare, Patrem coelestem nil propter opera, sed omnia propter suam bonitatem conferre, & magnificare eos, qui licet bonis operibus non onusti, tamen gratia sua nituntur; novissimos autem facere, qui propriis operibus & laboribus seu passionibus nituntur aut confidunt, se perfectè implevisse legem, ideoque suis factis vitam æternam promeruisse. Item, docere vult Christus: In regno Dei non militare proportionem geometricam secundum nostrum calculum.

Probatio & scopo parabolæ.
Hæc enim sunt hæc verba.

XXVIII.

Iste vero scopus ita patet, quia CHRISTUS, cum precedente capite 19. juvenem opinione legis à se implete inflatum, erroris convicturus, derelinquere omnia jussisset, eo que tergiversante, Petrus similem opinionem professus esset, quasi derelictione omnium ipse & discipuli rehqui, citra dubitationem, luculentissimam mercedem promeriti essent: istam opinionem, non tantum gravissimo illo epiphonemate corrigere voluit: multi primi erunt novissimi, & novissimi primi, *Matth. 20. vers. 32.* scilicet fideliter admonens, ne quis ex presumptione magni meriti ac dignitatis se pro primo venditet: sed etiam immediate hanc parabolam subjecit, quo ista humilitas, ne quis pro primo & digno se jactet, per hanc hypotyposin operariorum tantò penitus & firmitus mentibus discipulorum & aliorum auditorum insideret: quæ de causa sub finem parabolæ gnomam, à qua exorsus erat, denuo repetit, simulque altera illa: pauci sunt electi, eam non parum aggravavit.

XXIX.

Hinc nascitur tale argumentum: Si tota hæc parabola unice eo spectat, ne quis vel derelictione omnium bonorum, vel aliis operibus secundum mandatum Dei factis, se dignum mercede æstimet: postero ausu accommodatur ad meritoriam dignitatem operum coram Deo allerendam: Sed prius est verum. Ergo etiam posterius.

XXX.

2.
Probatio
remunerations.

Secundo loco remuneratio operariorum ita describitur, quòd non per errorem, sed ex deliberato proposito, æqualis merces, cum singulari benevolentia, sine omni reservatione laborum deinceps, pro eadem mercede, adhuc suscipiendorum, data sit ultimis, qui tantum unicum horam laboraverant, qualis data fuit primis, qui duodecim horas, per integrum diem laborando compleverant. Uno verbo, quòd quinque gradibus inæquales operarios prorsus æqualiter remuneravit paterfamilias.

XXXI.

Unde tale extruimus argumentum: Justus paterfamilias, qui secundum justitiam mercedem retribuit laboribus, à dignitate & merito æstimatis, reddit inæqualibus inæqualem & exactè proportionatam mercedem. Hic paterfamilias in parabola (quo Deus omnium fidelium & bonorum operum remunerator representatur) non dedit inæqualibus inæqualem, sed æqualem mercedem, E. non secun-

Secundū iustitiam laborib. à dignitate & merito aestimatis, sed ex mere gratuita benevolentia & liberalitate dedit, etiam non merentibus.

XXXII.

Hoc cum sub ipsa distributione facile animadvertent primi, imaginatione ista proprii meriti inflati, ideoque pro mensura maiorum laborum maiorem mercedem expectantes, & satis morose, quasi iuxta rigorem iuris, postulantes: non tamen illud responsum tulerunt; Vestri labores plus non promeruerunt laboribus horum, vel horum labores non minoris meriti sunt, quam vestri; Sed hoc potius: *Amice, nonne denario pactus es mecum? hoc est, plus non promisi. Et: Annon licet mihi facere, quod volo de meis?* nimirum disertis verbis gratuitum suum favorem & benevolentiam allegans, ex qua mercedem suam acceperunt, qui parum quidem laboraverunt, sed tamen optime steterunt, electis Dei filiis similes, præ cæteris, qui magna quidem sibi, de iure & condigno, pollicebantur, sed ea ipsa de causa, cum novissimis posthabiti sunt.

XXXIII.

Planum igitur & immotum est tertium argumentum. Si Deus in distributione suorum beneficiorum hujus & futuræ æternæ vitæ, omnia secundum liberam voluntatem, & neglecta omni proportionem laborum vel erga se invicem, vel erga beneficia sua: certè non secundum dignitatem & meritum, sed gratis dat. Verum prius docet Christus hac parabola, Ergo & posterius.

3.
Probatio, & beneplacito liberae voluntatis.

XXXIV.

Majoris firmitas ex antithesi Paulina nota est, si per gratiam, non jam ex operibus, alioqui gratia non est gratia: Sin ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus non est opus, Rom. 11. v. 6. Item: Quod est debitum ex iure & dignitate meriti, non est in potestate libera, ut dari vel negari iuste queat.

XXXV.

Adjici potest quarto loco, quòd hi operarii, qui acceptissimi fuerunt patrifamiliàs, liberalissimamque mercedem unà cum integra benevolentia reportarunt, nil gloriati fuerint de suis laboribus, planè ut Electi (quos hi representant, xl. 16.) aliàs describuntur, Math. 25. Apocal. 7. vers. 10. imò, quales esse debent ex præscripto Spiritus sancti, non de se, vel bonis operibus, sed in solo Deo gloriantes, Rom. 3. v. 27. cap. 4. v. 2. Cor. 1. vers. ult. Ephes. 2. vers. 9.

De gloria in seipso

Hec

XXXVI.

Hæc ex omnibus circumstantiis parabola: perspicua sunt: sed tamen nunc audiamus, quomodo adversarii eam ad suas partes traducant, atque confectaria, nostris è diametro opposita, inde elicere solcant.

XXXVII.

Papistarum
g. Objectio.

of. Wuyten p. 12. h.
p. 175.

Primum argumentum petitur ab appellatione horum in vineam vocatorum, & ab instituto vocantis, qui OPERARIOS, non fiduciariorum qualisvit. Hoc argumentum tractat Stapletonus, contra solam fidem, quam unice necessarium ad salutem impie docent, (ait in Catholico) sic autem differit: Operantibus in vinea, id est, eustodientibus mandata, non credentibus tantum datur in hoc Evangelio denarius vite æternæ. Item: Operarii manifeste denotant virtutum cultores & operum factores, quæ cum labore conjuncta sunt. Nam & ociosis opponuntur, & qui operarii fuerunt, dicuntur pondus & æstum diei sustinuisse, Tales igitur operarios, non sola fide contentos, in vineam suam conduxit Deus. Et paulò post: Operari non vult, non sola fide aut fiducia niri. Jam verò diligenter hoc loco notandum, quod hæc bona opera, non solum ut congrua quadam bonis filiis opera, aut ut gratiarum actiones (sicut hæretici cavillari solent) sed ut prorsus ad salutem necessaria sint. (ibid. part. 1. pag. 71. 72.)

XXXVIII.

Respond. Antecedens concedimus & urgemus ipsi: non solum auditores, sed & factores legis requirit Deus, Jacob. 1. vers. 22. Matth. 7. vers. 21. Sed consequentiam negamus, quando inferitur. Ergò hæc à Deo cuilibet imposta opera necessaria sunt ad salutem. Reclamant enim huic consequentiæ omnia dicta, quæ à justificatione pariter & salvatione bona opera fidelium excludunt, Roman. 3. & 4. Ephes. 2. Galat. 2. Roman. 11. Antecedens tantum describit, quales operarii Deo placeant, consequens plus infert, & causam favoris & mercedis fingit, quam scriptura expressè rejicit: Salvandorum qualitates necessariae sunt bona opera, non causa salutis, cum necessitas illa longè alias causas habeat.

XXXIX.

Ad hæc, cur Papistæ malunt sese aggregare primis his murmuratoribus, ex aggerantibus æstum & labores, Luc. 18. qui potius deberent operam dare, ut in ultimorum optimorum classe, tantum ex gratuita liberalitate patris familiæ pendendum, invenirentur?

XL.

De antecedente tamen simul monemus, primò, fraudulenter opponi operantes & credentes tantum, quasi verè credentes, & tamen non operantes, dari possint, aut à nobis ponantur: cum nos semper ingeminemus, veram fidem non esse, nisi quæ bonorum operum fructus ferat, neque verè credentem, nisi qui simul benè operetur, de quo testimonium nostris Ecclesiis perhibet ipse Bellarminus: *Adversarii in eo conveniunt, quòd opera bona non sint necessaria ad salutem, nisi ratione presentia, cujus propositionis hic est sensus, quod bona opera fieri debeant, quoniam alioqui fides non est viva ac vera, nisi fructus bonos faciat, quemadmodum ignis non est ignis nisi calefaciat* (lib. 4. de justif. c. 7.)

XLI.

Deinde, quando Deus operarios conducit in vineam, vult ut non solum bona opera, sed ipsam etiam fidem illi operentur, *Johannis 6. vers. 28. 29. & 40.* unde iterum apparet, operarios malè opponi credentibus, & ex voce operarios impertinenter tantum ad factores operum proluere adversarios.

XLII.

Quam instantiam cum prævideret Stapletonus, hoc pacto declinare voluit: *Est quidem fides opus Dei, Johan. cap. 6. attamen per universam scripturam opera distinguuntur à fide, & operarii à credentibus, sicut fructus à radice. Quamquam non unica radix fides est; & omne bonum opus Deo placens, non secus à charitate, quam à fide proficiscitur, imò MAGIS PROPRIE bonorum operum radix charitas est, quam fides, quia principium operationis magis consistit in voluntatis imperio, quam in intellectu dictamine.*

XLIII.

Respond. Semel dictum est, primarium vitium principalis argumenti fuisse nullitatem consequentiæ: unde nihil obtineret Jesuita, si hæc omnia concederemus: Ostendemus tamen ex abundantia vanitatem hujus quoque probationis. ¹ Quæ distinguuntur, non tamen ideò ab invicem divellenda vel secludenda sunt. ² Unica radix omnium bonorum operum manet, etiam si hæc à charitate quoque promanet, quia charitas ex ipsa fidei radice est, Quicquid enim est causa cause, etiam causa causati: sed fides per charitatem est efficax, Ergò omnia opera è charitate proficiscuntur, fides quoque efficit. ³ Falsum est, magis proprie à charitate, quam à fide, seu radice, opera proficisci, aut placere Deo. Quicquid enim non est ex fide, peccatum

eml. Joh. 6. 28. 29

est, *Roman. 14.* & sine fide est impossibile Deo placere, *Hebr. 11.* 4 Falsa est etiam hujus falsitatis probatio, quæ præsupponit, quasi sola charitas voluntatem instiget. Ipse enim Stapletonus, immemor communis dogmatis Pontificiorum, quod fides tantum in intellectu hæreat: paulò antè scripsit: *fides opus intellectus & voluntatis est, quo obsequenter captivamus intellectum fides in obsequium Christi, unde & obedienna fidei, actus fidei vocatur.*

XLIV.

2. Objectio,
à conventio-
ne cum ope-
rariis,

Secundum argumentum Pontificium parit circumstantia de conventionem & pacto, inter patremfam. & operarios conductos, præsertim cum etiam ociosi expressè hac formula usi sint, *nemo nos conduxit.* Hic Stapletonus concionatur: *Locus est de mercede bonis operibus proposita, quam à Deo tribui heretici hodie negant. in sola fide omnium salutis rationem collocantes, & operibus omnibus tanquam coinquinatis, justam mercedem negantes.* (In Promt. Cathol. & Morali.)

XLV.

nam negat, b. opus
mercedem ipsius

Antequam alios audiamus, qui pressius urgent hanc circumstantiam, protestamur, nobis injuriam fieri à Stapletono. Nemo nostrum negat, bonis operibus mercedem esse propositam, mercedem à Deo retribui, & quidem justam mercedem, etiam si nostra opera coinquinata & imperfecta sint: Potius inter alias causas faciendorum operum bonorum, repetitionem divinarum promissionum de retributione frequenter instituímus, *1 Timoth. 4. vers. 8. Psalm. 5. vers. 13. & 61. vers. 6. 2 Thessal. 1. vers. 5.* Illud tantum negamus, ex condigno & merito operum, quasi jure constrictum, sed gratis, secundum divitias misericordie suæ, Deum omnia promittere & largiri: præcipuè autem salutem æternam propter solius Christi meritum, fidei promissam esse scimus, non operibus, etiam si impudens ipsa istius salutis gloria plusquam abundanter omnes actiones & passiones nostras compenset, *Roman. 8. 2 Corinth. 4.*

XLVI.

Ita verò Costerus in Enchiridio Conventionem Dei urget: *Deus tamen si liberrimus sit, nulliq; obligetur, promissione tamen & gratuita conventionem sese obstringit, pro bonis operibus mercedem reponere, hæcenus rectè, sed prorsus *avayλας* pergit: inde opera merentur, & Deus vicissim obligatur ad debitum* (pag. 285.) Ideo enim meriti respectus non habet locum, quia gratuita fuit oblatio & promissio, juxta antithesin Pauli supra allegatam, *Rom. 11. vers. 6.*

XLVII.

Quas condiciones meriti Bellarminus, lib. 5. de justifi. c. 10. & seqq. enumerat, ¹ ut opus sit bonum, ² ut fiat in obsequium Dei. ³ ut merens sit viator, ⁴ ut opus sit liberum, ⁵ ut merens sit amicus Dei, ipsi gratus, ⁶ ut intercedat promissio, ⁷ ut opus ex charitatis virtute procedat: Ex partim sunt impertinentes, partim insufficientes, partim etiam suspectæ: quia liberum esse non à spontanea & filiali promptitudine, sed à libertate arbitrii æstimat: quemadmodum etiam origo ex charitate, origini ex fide opponitur. stylo Romanensium: sano autem sensu intellectæ condiciones usque ad eò non constituunt formale meriti, ut in omnibus operibus bonis, quæ debitis salventur.

XLVIII.

Ad meriti autem respectum alia, præcipuè ista requiruntur, ¹ ut sit æquivalens ei, quod pro opere redditur, ² ut ex se sit indebitum opus, ³ ut sit nostrum, ⁴ ut commodet illi, cui præstatur: quæ condiciones omnes cum deficient in omnibus operibus nostris, ex observatione mandatorum Dei factis, verè & propriè rationem meriti ea rueri nequeunt.

XLIX.

Nihil itaque efficit Stapletonus, quando autumat, *vitam æternam idèo dici donum, & gratuitam retributionem, quia bona opera ex gratia Dei, non ex solis naturæ viribus profecta sunt*, pag. 76. Quia enim nullo modo à propriis viribus perficiuntur, sed Tantum ex gratia Spiritus sancti: nostra non sunt, ideoque respectum meriti sustinere nequeunt.

L.

Neque plus efficit altero illo effugio, *locutus Rom. 8. passiones hujus temporis non sunt condignæ non de condignitate meriti, sed de condignitate æqualitatis loqui*, p. 78. Quasi dignitas meriti, æqualitatis dignitatem non præsupponat. (In Cathol.)

LI.

Frustra igitur Costerus nititur solo pacto inter conductum ad labores, & spondentem mercedem pro laboribus, quando in Conc. part. 2. pag. 491. scribit: *Discimus verè ac justè Christianos operibus suis etiam mereri, ac non dari ipsis gratis, sine merito, ex pura beneficentia: ubi enim pactum intercedit inter operantem, qui ex una parte laborem suum dat, ac inter conductorem, qui de mercede laboris cum ipso convenit, & seipsum ad solutionem obligat: ibi certe qui conduxit, mercedem*

Conditiones
meriti.

9. d. 2. p. 198.

dem debet, quando aliter laborem pactum impendit, Sic DEUS nobiscum paciscitur, &c.

L II.

Est enim mora petitio principii: cui nos opponimus, quod gratis sine ullo respectu meriti, ex pura beneficentia Deus promiserit sua præmia, & quasi pacto initio obtulerit: pro operibus, quæ debebamus, etiam si nulla huiusmodi promissio intervenisset. Unde debitor alio respectu non est, quàm juxta vulgare: *promissum cadit in debitum*. hoc est, ad gloriam veritatis & bonitatis suæ, juxta Chrysostr. in 24. cap. Matth. *non debendo, sed promittendo Deus se debitorem fecit.*

L III.

Præterea non nostra opera, sed sua dona in nobis coronat Deus, in nullum certè nostræ dignitatis aut meriti, sed potius in incomprehensibilis suæ bonitatis argumentum: ex qua mera gratia etiam illud profectum est, quod vocati sumus, ut serviremus, teste hac parabola, & Paulo. 2 Timoth. 1. v. 9.

L IV.

3. Objection,
à JUSTA
retributione:

Tertium argumentum fabricant Papistæ ex verbis: *quod justum est, dabo vobis. Cur jam non pactus est paterfamilias?* (ait Costerus: & respondet sibi) *ut sciamus merita priorum non solum mercedem mereri ex promissione Dei, sed etiam IN SE CONDIGNA esse mercede, non ut proficiamus a nobis, aut secundum naturalem suam entitatem, sed ut sumus per Christum, qui in nobis est, & à Spiritu sancto, (Conc. part. 2. pag. 498.)* Et paulò post: *quia in ipsis condignitas quadam est ad præmium æternum, ideo, ut ex condigno non satisfaceret eis, mercede aliqua temporalis, pag. 499.* Denarius vite æternæ non solum merces vocatur, sed & JUSTA merces, & quæ reddi operibus dicitur (Stapl. Cathol. Promt. p. 74. part. 1.

LV.

Respond. Iterum nulla est consequentia: *Juste dat Deus, & justum dat, & secundum justitiam dat, Ergo ex respectu nostri meriti condignum dat.* Quia hæc justitia Dei salvatur in ejus gratuita promissione, quam exactè servat, quia vi promissionis æquum & justum est servare promissa. Quia non secundum strictum rigorem justitiæ suæ remunerat Deus opera (sic enim opera nostra propter summam imperfectionem prorsus non consisterent aut placerent, 1. sal. 130. & 143. Proverb. 20. vers. 9.) sed secundum justitiam misericordiæ temperatam, ita videlicet, ut propter Christi meritum immundities per fidem te-
gatur

gatur: ideo nullus respectus meriti inde elici potest, ubi omnia
 & *υποχρεωτα* fiunt. ³ Præterea illud negari nequit, sæpe stylo Hebræo
 (præcipue de beneficentia Dei sonante) voce JUSTITIA ipsissimam
 puram misericordiam intelligi, *Zach. 9. v. 16. Psalm. 103. v. 6. & 143. v. 2.*
⁴ absq; dubio, quia illa misericordia fundatur in Christo, sicq; in ju-
 stitia ejus, quæ per fidem nostra est.

LVI.

Quartum & præcipuum argumentum, cui reliqua omnia quasi
 subordinantur, extruunt ex vocabulo *mercedis*. Illud Bellarm. lib. 5.
 de justif. c. 3. ita proponit: *Si vita æterna est merces, bona opera, quibus*
illa redduntur, sine dubitatione, sunt merita, Sed est merces, qua nomine do-
maris diurni, in parabola Matth. 20. secundum Patres intelligitur. Ergo,
 Idem, lib. 4. de Pœnitent. cap. 8. hoc loco & vox *mercedis*, & nomen o-
 perariorum, & pactum cum operariis ex denario diurno, non permittunt,
 nos aliter hunc locum exponere, quam de meritis proprie ut dictis, quibus
 Ex JUSTITIA merces DEBETUR. Josephus à Costa, Conc. 4. in hac
 Dominica: *Operatur homo & meretur, ipse promissam mercedem* (alleg.
 Pelarg. in Jesuitif. pag. 83.) *Merces datur ex condigno, quia datur dena-*
rius labori respondens (Bellar. lib. 5. de justif. c. 17.)

LVII.

Respondetur, quæ obstat, quò minus vita æterna per se pro
 denario & mercede operariorum habeatur in parabola, supra dictum
 est, Negamus tamen consequentiam, quia merces non tantum (ut
 Cardinalis præsumit) ex meriti & condigni ratione debitam, sed in
 genere omnem compensationem significat, quæ sive gratis propter
 solam promissionem, sive ex debito, post exactum laborem datur:
 quod perspicue apparet apud Paulum, *Rom. 4. v. 4. & Psalm. 117. vers. 4.*
 Item: *Matth. 8. v. 1. ex interpretatione Luc. 6. v. 32. & 40. v. 12. & 11. v. 1.*
Gal. 3. v. 2.

LVIII.

Ideo argumentum à puris particularibus procedens, nihil con-
 cludit: Et rectè Apologia Augustanæ Confessionis asseverat, *merce-*
dem dici præmium, quod Deus reddat, non quia debeat operibus, sed
quia debetur promissioni, seu propter promissionem (Edit. Witteb. 1598.
 pagina 232.)

LIX.

Regerit autem Bellarminus: *Scriptura desertis verbis dicit: merce-*
dem dari operibus, non soli promissioni. Quid enim apertius dici potuit, quam
voca operarios, & redde illis mercedem? Deinde esto, propter solam promif-
siōem

4. Objectio,
 à Voce Mer-
 cedis,

St. B. 26. 27, 28.

tionem aliquid verè & propriè debeat: tamen nunquam id mercedis nomine verè appellari poterit, nisi conditio operis, & conditionis impletio intervenierit. Ista enim verè durissima & intolerabilis esset Catachresis, si quis donativus à rege promissum ex mera liberalitate, sine ulla conditione operis, mercedem appellare vellet. Sic Bellar. lib. 5. de justif. c. 3.

L X.

Planum autem est, cui vis, probationem hanc cum thesi Bellarmini probanda conferenti, longè minùs inesse præmissis, ¹ Paterfamilias dicit, Operariis, non operibus, redde mercedem, ² Ut non repugnemus, dari operibus, requiri conditionem operis, & impletionem conditionis: nondum tamen causalitas, meritum & dignitas operum est evicta, de qua unice disputatur. Diversas has interrogationes vel pueri discernunt, Cui? & propter quid? ³ Et in hac ipsa parabola operarii ultimæ horæ exemplo sunt, quibus merces vera data est, sed non propter opera, aut labores, qui justam proportionem ad mercedem non habebant: ideoq; ceu merces ex voluntaria liberalitate Domini profecta, expressè describitur.

L X I.

Costerus hanc difficultatem animadvertens fingit, ultimos tantùm unâ horâ laborasse, quantum primi totâ die. Ita enim scribit: *Egri paterfamilias in negotio hoc perquam prudenter & justo: advertens enim novissimos brevi illo tempore tantum præstitisse operis, quantum primos, tum quod aptiora haberent instrumenta, tum quod recentiores alacrioresq; fuissent, tum quod diligentius institissent operi: primi enim laboraverant lente, & pro rata temporis effecerant parvum* (In Conc. part. 2. pag. 480) Et circa finem Evangelii: Pauci sunt electi, denuò repetit: *Hæc ratione* (inquit) *innuitur, postremos hosce diligentiam & mediam, quibus utebantur, ex seipsis non habuisse, sed a patrefamilias, qui ipsos juvabat, ut tantum una, quantum alii duodecim efficerent horis, quod ex charitate faciebat, ut ipsos promoveret, pag. eadem.*

L X I I.

Ineptissimè omnia, ¹ quia licet auxilium Patris coelestis indubitatum sit, hæc tamen paterfamilias non ita describitur, ideoq; præter manu ductionem parabole Jesuita hoc fingit. ² Ubi hanc diversitatem operariorum in operando vidit Costerus? ³ Sic cæcè benè poti, & modo ex taberna prorumpentes plus & melius laborant una hora, quàm sobrii duodecim? (De his enim circa verba, nemo nos, onduxit, scripsit Costerus in paraphrasi, forte potarunt in diversario, cum pater-

familiās circaprimam, tertiam, sextam & nonam horam illuc veniret, pag. 479.) ⁴ Cur murmurantibus primis paterfamiliās non objecit ignaviam, qui dicere potuisset: neque hoc denario digni estis, ut qui non satis strenuè, ex conventionē nostrā, laboribus incubuistis. Imò, cum ipsi operarii urgerent labores & sudores suos, Dominus non contradixit.

L XIII.

Paratam sanè etiam hic depromit responsionem, sed ridiculam: Noluit eos confundere: idèò potius per justitiam, quoad illos, & per beneplacitum, quoad alios respondit, pag. 488. In qua ratione sibi ita placet, ut ea in depravanda sententia: annò licet mihi, quod volo, facere in meis? denuò utatur, inquit: Non significatur his verbis, quod Deus gloriam celestem dei sanctis sua voluntate sine ullis meritis: quia antea promiserat, se daturum, quod justum esset, id est, quod justitia requireret. Arg, hinc merentur ultimi tam magnam mercedem, quam primi, quod nimirum una horarantium effecerint, quam reliquitorum die. Hanc tamen causam nolebat murmuratoribus dicere, cum ne illos confunderet, exprobrando pietati eorum: tum, quòd Dominus non tenetur semper servis suis reddere rationes factorum suorum, pag. 523.

L XIV.

Respond. Papæ! itane parcendum fuit his ignavis, quorum tamen uni publicè objiciebatur *oculus nequam*? Videat Cofferus, quam justum jam constituerit Dominum, qui ignavis dat, quod non promeriti sunt. Strenuè enim laborantibus ex conventionē denarius erat promissus. Ergò, ignavis de jure non debebatur: unde consequens, nullibi justitiam, sed merum beneplacitum Domini, in hac denarii seu mercèdis distributione, militasse.

L XV.

Quilibet ergo ex hæcenus dictis videt, quàm elumbes sint rationes Papistarum, quas ex hac parabola concinnant, de qua tamen ferè præ cæteris textibus semper gloriantur. Docetur sanè, rectè operantibus præmia esse proposita à Patre cœlesti: reliqua verò omnia de merito, de condigno, de justitia distributiva, de domino jure debiti obstricto, de necessitate operum ad salutem: de suo allinunt, in vta parabola & universa scriptura.

L XVI.

Principium itaque petunt, quoties hoc loco talia obtrudunt, præsertim cum illo additamento, quod ex Bellarmino, lib. 5. de justif. cap.

cap. 3. huc transcripsit Costerus, pag. 492. 493. quod *partim ut filii ad-
optivi hereditate accipiamus vitam aeternam, partim promeremur: sicut
Christus partim, ut filius naturalis, partim promerendo obtinuit: imò longè
gloriosius esse, obediens & operibus cœlum mereri, quam si nobis meræ libera-
litate donetur.*

LXVII.

Ut enim de hoc ultimo prius dicam: si asinus volaret, haberet
pennas: Sic, si nos perfectis operibus possemus promereri, suo sensu,
gloriosissimum nobis illud foret: Verùm illa gloria omnes caremus.
Rom. 3. vers. 23. nunc autem per gratiam Christi gratis salvamur, ne
quispiam gloriatur, *Ephes. 2. vers. 9.* omnis autem gloria ad Deum be-
neficentissimum unicè redeat.

LXVIII.

Quoad prius, falsum est, Christum *SIC ET* etiam promeruisse cœlum:
promeruit sanè, & duplici jure, juxta Bernhardum, possidet cœlum:
sed nobis promeruit. Deinde blasphemum est, hominibus peccato-
ribus illam *in cœlo* tribuere, in qua solus Christus honorandus est,
quòd sua obedientia cœlum promeruerit, utpote indebita & perfe-
ctissima, qualis in nos nunquam cadit, ut aliàs in doctrina de bonis
operibus, de extrema nostræ carnis corruptione & adveniente liberati-
bitrii, plenius demonstratur.

LXIX.

Retinenda igitur est thesis, quòd ratio salutis nostræ nullatenus
pendeat ex bonis nostris operibus, tum, ut Deo tam paternè, ex mera
misericordia quærenti, & in Christo Filio donanti nostram salutem,
laus sua integra maneat; tum, ut etiam in extremo agone conversi
certam fiduciam, subnixi gratuita promissione Evangelii, ut & reli-
qui in tota vita, firmam spem de salute sua, concipere & retinere va-
leant, *Rom. 4. vers. 16.*

LXX.

Hac quasi peculiari hujus Evangelii controversia exposita, nihil
aliud restat, quàm minutiores quædam adspargines, partim priscorum,
partim recentiorum, quæ levi quadam absterfione tolli possunt.

LXXI.

E priscis Valentiniani hanc parabolam suo delitio prætexere so-
liti sunt, quemadmodum Centuriatores referunt, Cent. 3. colum. 87.

Valentiniani fuerunt triginta Aconas, id est, seculæ: ex quibus Bythos &
Sigen dixerunt reliquos omnes procreasse. Dicunt enim Salvatoretem Christum
scilicet

Contra Aco-
nas Valenti-
nianorum.

scilicet, quem Dominum appellari nefas putant, mysterium horum Aeonum eo ipso ostendisse, quod per triginta annos in manifesto nihil fecerit. Atq; hoc parabolam de operariis in vinea detorqueat, quorum alii circa horam primam, alii circa tertiam, alii circa sextam, reliqui circa nonam & undecimam, in vineam missi sunt: quæ hora conjunctæ efficiant triginta, quem numerum typum & declarationem fuisse triginta Aeonum, insulsissime nugati sunt. Hactenus Cent. Magdeb. ex Irenæo, libro 1. cap. 1. Epiphano & Philastro.

LXXII.

Nulla opus est refutatione adversus dogma per se tam absurdum. Unicus est DEUS Creator cœli & terræ, & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, quem omnes scripturæ annunciant. Ex allegoricis autem speculationibus nullum dogma Ecclesiæ per se definire, multo minus ex Cabbalisticis lusibus, contra indubitatum articulum fidei, decernere quippiam licet.

LXXIII.

De Donatistis refert Augustinus in Epistola Petil. cap. 13. Illos hoc dictum: *Novissimi erunt primi, Matth. 20.* ad suum errorem detorsisse, quod in toto orbe terrarum vera Ecclesia defecerit, & nullibi nisi in Africa, & quidem tantum in parte Donati, quærenda sit (refert Cent. Magdeb. 4. colum. 377.)

Abusu Donatistarum.

LXXIV.

Fanatica autem fuit opinio, quæ suo modo etiânum multos agit: Quæ enim Ecclesia, quæ secta nostris temporibus, vel in Oriente, vel Occidente sedem habens, sibi non tribuit, quod ex numero optimorum Operariorum sit, præ omnibus aliis in extremo die & futura vita cœlestibus præmiis coronanda? Atqui Deus novit, qui sint sui, 2 Tim. 2. Beati, qui audiunt verbum ejus & conservant, Luc. 11. vers. 28. Non omnes, qui dixerint, Domine, Domine, ingredientur regnum cœlorum, sed tantum ii, qui fecerint voluntatem Patris cœlestis, Matth. 7. vers. 27.

LXXV.

Bellarminus sine Autoris mentione, allegat hoc argumentum: *Deus in tempore facit, quod ab æterno constituit: sed nunc propter opera dat mercedem, Ergo, prædestinatio non est gratuita.* (lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 13.) Falsa autem est assumptio, & in præcedentibus satis refutata. Quomodo autem Papistæ, concedentes assumptionem, sese expediant, ipsi viderint.

Q

Ipsemet

LXXVI.

Abusus Bel-
larmini, pro
libero arbi-
trio.

Ipsemet autem Bellarminus gravissimè errat, hoc paralogismo si-
bi & aliis imponens: *Homo est Operarius, est rigator & plantator, E habet
liberum arbitrium in actionibus piis & salutaribus.* (lib. 6. c. 10. de gratia
& liber. arbitr.) Sanè si de conatibus, pertinentibus ad externam pæ-
dagogiam, in usurpandis mediis divinitus propositis, loqueretur, fa-
ciles essemus: jam verò de illa quæstione nulla ferè est dubitatio. quòd
homo ex propriis viribus sacram scripturam legere discere, literaliter
intelligere, aliis proponere, sacro ministerio fungi &c. possit, etiam si
ipse fidelis non sit, *1 Cor. 9. v ult. Matth. 6. v 20.*

LXXVII.

Cardinalis longius progreditur, & viribus naturalibus, si con-
currat gratia Dei auxiliatrix, cooperationem ad intellectum spiritua-
lem, ut & ad obsequium fidele, tribuit; contra dicta, quæ omnem
prorsus facultatem homini, quæ tali adimunt, *2 Corinth. 2. 2 Corinth. 3.
Ephes. 2. & 5. Philipp. 2.* Plus autem infert, quàm antecedens permittit:
homo est operarius, Ergo ex propriis arbitrii viribus. Mittentis enim &
gratosè vocantis donum est, non currentis vel volentis, *Rom. 9.* neq;
etiam plantantis aut rigantis, sed benedictis Dei, *1 Corinth. 3. vers. 7.*
quicquid fidelis & renatus in vinea Ecclesiæ boni efficit. Non enim
de moraliter seu secundum externam disciplinam, bonis loquitur, sed
de iis, quæ Deus ex vera fide profecta, cum beneplacito suscipit, &
mercede sua remuneratur.

LXXVIII.

Abusus Sta-
pletoni, con-
tra invisibi-
lè Ecclesiam.

Stapletonus ita argumentatur: *Ecclesia vera & Catholica est mul-
titudine per omnes gentes dispersa: sed Electi, teste Christo in fine hujus parab-
olæ, sunt pauci, Ergo, Electi, quæ tales, non constituunt Ecclesiam veram,
sed qua visibiles & vocati, Et per consequens vana est distinctio Eccle-
siæ veræ in visibilem & invisibilem.* (In Relect. Princip. Contr. 1.
quæst. 2. art. 1.)

LXXIX.

Respond. I. Est ambiguitas in terminis, cum multitudo & pau-
citas non eodem sensu seu respectu in utraque præmissa accipiatur.
Multitudo in majori opponitur paucitati unius regni aut regionis,
qualis Ecclesiam Veteris Testamenti circumscribebat: quæ ipsa tamen
multitudo est paucitas respectu longè majoris multitudinis, quæ
extra veram Ecclesiam (pusillum gregem, *Luce 12.*) vel in pagani-
simo, vel in cœtibus hæreticarum sectarum detinetur. Electi verò in
proposi-

propositione Minori vocantur pauci, in collatione cum vocatis, quorum semper plures sunt: nihilominus hi ipsi pauci electi constituunt numerosam & non contemnendam multitudinem, juxta illud: MULTI ab Oriente & Occidente venient, & discumbent cum Abraham, *Matth. cap. 8. vers. 11.* Sic ergo etiam Electi sunt quaedam multitudo per orbem Christianum dispersa, licet minor multitudi-
ne vocatorum.

LXXX.

Deinde procedit argumentum ab indeterminato ad determinatum: quia in conclusione additur determinatio, *quæ talis*, quæ ex præmissis non fluit: tantum ut absurditas illationis minus pateat, & *quodvis* proposito inserviat. Alias enim inferendum fuisset: *Ergo electi non constituunt Ecclesiam veram*, quæ propositio etiam in circo Catholicorum falsa est. Etsi enim electi soli non constituent Ecclesiam visibilem, tamen verè constituunt, nempe cum aliis externa professione sibi conjunctis. Patefactis vitiis argumentationis, non opus est, ut toties repetamus, quibus respectibus Ecclesia vera visibilis & invisibilis dicatur, & quibus fundamentis isthæc distinctio adstruatur.

LXXXI.

Ultimo loco gravissima gnome Salvatoris: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, peculiarem & accuratam posceret vindicationem adversus particularitatem absoluti decreti, quod à Calvinianis adhuc, cum pertinaci abusu hujus loci, & cum coarctatione misericordiæ Dei, redemptionis Christi, vocationis & omnium beneficiorum Evangelicorum, propugnatur: quia verò eadem illa sententia recurrit in Evangelio de nuptiis mysticis Filii regii, Dominica

20. Trinitatis, eò totam illam disceptationem reservabimus.





DISPUTATIO VI.

DOMINICA
SEXAGESIMA,

Luca 8. à vers. 4. ad 15. inclus.

I.



Mnes veri Christiani, quibus per Spiritus sancti gratiam datum est, cum alia mysteria regni, tum hujus Evangelii peculiare, intelligere facile vident, scopum hujus parabolæ principalem esse, ut de paucitate membrorum Ecclesiæ, & de veris istius causis admoneamur, ne cum perpetuo scandalo vel multitudine improborum seducamur, vel de sinceritate religionis, propter assentientium & fructificantium paucitatem, dubitemus.

II.

Y.
An multitu-
do sit nota
vera Eccle-
sia?

Nihilominus Pontificii, isto scopo quasi ex oculis semoto, hoc ipso in loco rhetoricantur de illa, ipsis admodum insigni, nota vera Ecclesiæ, quam ex multitudine concurrentium & consentientium æstimant. Omnes Prophetæ prædixerunt (ait hic Costerus) gentes omnes ad Messiam concurrerunt, ut discerent ex ipso: quod jam impleri cepit, ac postmodum perfectius per Apostolos impletum est, eorumque successores, qui mundum converterunt. Quod observandum contra hæreticos, qui ostendere non possunt unquam suam doctrinam toto orbe receptam, cum Christiani ubique nostram teneant Catholicam fidem, nusquam dogmata hæreticorum, (part. 2. Conc. pag. 538.)

III.

Novimus sanè vaticinia de concursu gentium ad vexillum Messias, Esa. 2. 11. 49. & alibi: Ex illis autem nunquam elici potest illa propositio major in argumento Papistico; Ad quemcumque maxima multitudo concurrat, ille est Messias, vel: Ad quamcumque religionem & cul

& cultus rationem multi concurrunt, illa est vera, Catholica Christiana & Apostolica, contra verò falsa, ad quam pauci concurrunt.

IV.

Vaticiniis Prophetiis abundè satisfactum est, quando ex omnibus mundi populis aliqui licèt in comparatione cum multitudine infidelium, pauci Evangelium susceperunt: multi enim & illi erant in suo genere. Agnoscit ipse Jesuita, hoc concursu in Evangelio nostro descripto. Item: tempore Apostolorum, impletas esse prophetias: cum tamen certum sit, semper minorem partem omnium regionum & oppidorum, in quibus Apostoli concionati sunt, Evangelium amplectam esse, majorem verò in infidelitate & odio adversus Evangelium permansisse: unde etiam omnes persecutiones Christianorum, per aliquot Centurias annorum, roboratae sunt, quæ aliàs nec oriri, nec vires retinere valuissent, si ubiq; locorum major pars ad Apostolicam doctrinam accessisset. Sæpe concurrebant cives ad conciones Apostolorum, *Act. 13. & 14.* Sæpiùs autem ad seditionem adversus ipsos: concurrebant Athenienses ad concionem Pauli, frequentius autem ad res novas cognoscendas, *Act. 17. v. 21.*

V.

Quid multa? Nonne concursus ad Mahometem, regnum Othomannicum, à pomœriis Ecclesiæ prorsus avulsit? Nonne concursus factus est ad Theudam, ad Judam Galilæum, *Act. 5.* & ad Bendochab pseudo Messiam, ita ut numerosum exercitum possent expedire, qualem Christus ex suis instruere non potuisset? Adeò de concursu Christus ipse nō gloriatus est, ut potiùs opus esse judicaret præmonitione adversus scandalum: Beatus, qui non scandalizatur in me, *Matth. 11.* Ubi erat concursus multitudinis ad verum Messiam, quando omnis multitudo conelamabat: Crucifige eum? Ubi erit circa ultima tempora, quando deficiet fides & charitas, *Matth. 24. Luc. 18?* De multis docet Christus, quòd ambulent in via lata ad perditionem: De multis prædicat, quòd aliquando dicturus sit ad illos, Ego nunquam novi vos, *Matth. 7.* Quod si ergò etiam errantium, pereuntium, Christum & Evangelium ejus persequentium, est multitudo: falsissima est major propositio argumenti; falsissima etiam est hæc nota veræ Ecclesiæ & religionis, utpote de qua coetus malignantium certius & frequentius gloriari queat.

VI.

Sed & minor falsa est, quæ nostræ Ecclesiæ & religioni concursum

sum multorum derogat, vicissim autem universalem concursum Romanensi Ecclesie adscribit. Quamdiu nos demonstramus, nostram doctrinam undiquaque consentire cum doctrina Apostolorum, tandiu occinimus Papistis proprium axioma: Vaticinia de numerofo concursu ad Messiam sunt impleta tempore Apostolorum. Præterea autem talis concursus ad Lutheri & successorum cathedram factus est, & adhuc fit, talis etiam defectio à Romano jugo, ob quam acerbissimè dolent omnes affecte Papæ? qua in parte provocamus ad ipsorummet querelas, & ad illam trepidationem, qua stimulante toties classicum canunt ad extirpandos hæreticos, ne Romana Ecclesia & Religio pessum eat.

VII.

Cur Salvator noster per parabolam locutus sit, primam hanc causam ponit Costerus, *ne verba Dei nimium vulgaria faceret ac communia*, pagina 541. part. 2. Conc. Quemadmodum aliàs in genere Papistæ docent, mysteriorum Evangelicorum longè majorem esse majestatem, quàm ut vulgo hominum debeat prostrui: ideoque ad tuendam illam majestatem inconsultò fieri, si vernaculis versionibus scriptura sacra exhibeatur, si Laicis lectio Bibliorum permittatur, si omnia sacra exercitia lingua vernacula, etiam illiteratis & laicis nota, peragantur.

VIII.

Unde Hofius, de expresso verbo Dei, & Hardingus, sect. 17. art. 13. Tom. 1. Operum Ivelli, scribere veriti non sunt: *Laicis lectionem scripturarum permittere, esse sanctum dare canibus & margaritas ante porcos projicere*: Et Censura Colonienfis, art. 1. consuluit: *Qui salvam volunt esse religionem, omnino debent Laicis interdicare in universam lectionem sacrarum literarum*. (refert Meisnerus contra Vörösmartium, pagina 649. 651.)

IX.

Atque huc referenda sunt, quæ ejusdem farinae ad vs. 10. infra de mysteriis Evangelicis non cuiusvis obviis annotant. Hardingus enim per dictum Christi: *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, reliquis autem per parabolas, duo probare conatur. I. Scripturam ipsam ostendere, non esse consentaneum, ut scriptura omnibus personis communes & vulgares fiant. II. Non nisi Apostolis, eorumque successoribus seu discipulis, revelari mysteria regni, (apud Ivell. Tom. 1. de scripturis vernaculè legendis, art. 6.) F. Marquardus Leo in Gatecheticis, ad quæ.*

2.
An mysteria
Evangelii om-
nibus pate-
re debeant?

ad quaestionem: Quid sentiendum est de interpretatione scripturae? Responder: Sciendum & credendum est nobis. ¹veram & genuinam interpretationem tantum apud Catholicam Ecclesiam esse, ²hanc esse per quam difficilium, ³ideoque non omnibus, sed certis personis, à Christo ad id ordinatis, concessam esse: Quia Christus ad solos Apostolos interrogantes, cur in parabolis populo loqueretur, seorsim dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, reliquis autem, id est, vulgo & communi plebi, non est datum, *Matt. 13. Marc. 4. Luc. 8.* (In Catech. p. 58. 59.) Costerus: Hic Apostolis committit Christus officium interpretationis scripturarum, & successoribus Episcopis, cum aliàs scripturae in varias opiniones abripiantur, p. 566. Idem: *Mysteria in duobus tota sunt, primo in sensu scripturarum, secunda in doctrina Ecclesiae. Non enim quae credenda & agenda sunt, Bibliorum in volumine continentur: sublimiore scripturam digito suo scripsit Deus in corde Ecclesiae, quae multo clarior est, certior & perfectior, quam scriptura Bibliorum, 2. Cor. 3. Fides Ecclesiae norma esse debet interpretationis scripturae, Rom. 12. & 6. (p. 567.)* Bellarminus etiam pro necessitate traditionum ex hoc textu argumentatur: *Multa mysteria nostrae religionis silentium requirunt, nec decet, ut in scripturis, quae toti mundo leguntur, explicentur: hinc Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas, quas populo locutus erat, Luc. 8. (De verbo Dei non scripto, l. 4. c. 8. col. 187.)*

X.

Ad haec omnia dicimus, nullam esse consequentiam, Aliàs ¹nec Christus vulgo auditorum suorum ipsam parabolam debuisset proponere, ²neque hodie illam liceret praelegere omnibus, praesertim cum addita explicatione Christi: quia non minor majestas est in scriptura praelecta, quam in eadem à quolibet privatim lecta: quod nec Bellarmini verba negant, ³Sequeretur, omnes Laicos esse audientes, ut non intelligant, & videntes ne videant, juxta *Esai. 6.* ⁴Ex historia Marci 4. & 10. 11. constat, non solum Apostolos, sed etiam alios praesentes petiisse explicationem parabolae, quibus omnibus responsum est: **VOBIS** est datum nosse mysteria regni.

XI.

Falsissimum in primis est, quod pugnet cum dignitate Mysteriorum Evangelii, si longè lateque etiam vulgo innotescant. Ideo enim Christus Evangelium ex sinu Patris protulit, ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, *Johan. 1.* Et Paulus dicit, sibi datam esse gratiam hanc inter gentes Evangelizandi **IMPERVESTITIBILES** opes Christi, & in lucem proferendi **OMNIBUS**, quae sit commu-

communio mysterii, quod erat absconditum à seculis in Deo, *Eph. 3. vers. 8. 9.* Quod discipulis dictum est in aures & in tenebris, id debuerunt annunciare in tecto & in luce, *Matth. 10. vers. 26. 27.* Jubentur omnes Christiani hanc operam dare, ut sermo Dei opulenter inter eos habitet, *Coloss. 3. vers. 16.* Et spirituales, etiam ex coetu Laicorum, per Spiritum sanctum, vera Christi & salvifici Evangelii (quod ipsissimum mysterium mysteriorum est) noticia illustrati, judicant omnia, *1 Corinth. 2. vers. 15.*

XII.

Falsum est etiam illud, quo præsumitur perfectiorem & certio-rem esse scripturam in corde Ecclesiæ, quam in sacris literis, *2 Thess. 2. vers. 2.* Cum cor Ecclesiæ nihil perfectum imbibere queat, nisi ex sacris literis haustum. Scriptura, quæ reddat hominem perfectum ad OMNE opus bonum, nulla alia est perfectior: sed in *2 Thess. 2. vers. 2.* sacrae literæ, hominem ita perfectum reddunt, *2 Timoth. 3. vers. 15. 17.* Ergo illa nulla alia est perfectior.

XIII.

Præterea, si maximè scriptura esset in cordibus perfectior, cum illam Spiritus sanctus non solum clericis, Papæ, Episcopis, & Conciliorum assessoribus (quos titulo Ecclesiæ Romanenses venditant) sed omnibus fidelibus inscribat, *2 Corinth. 3.* nihil tamen inde ad ullam supra positarum thesaurum concludi posset: præsertim cum illa interior cordis scriptura nihil aliud sit, quam spiritualis sensus & noticia verbi divini, quam Laicis Pontificii non denegant, dummodo à Clericis audiant & discant: hic autem de literalis expositione mysteriorum, prout vel libris comprehenditur, vel orali traditione proponitur, est quaestio.

XIV.

Nedicam, jamdudum ab ipsis Pontificiis profanata esse omnia mysteria regni, si ad majestatem eorum pertinet sileri & non scribi: quia ab ipsis jamdudum inscripta relata scriptis propugnata, & populo longè diligentius, quam ipsa sacrae literæ, proposita & inculcatae sunt traditiones, quæ vocantur, Ecclesiæ.

XV.

Nos igitur invertimus argumentum, ita ratiocinantes: Si Christus summo studio hanc operam dedit, ut omnes suas conciones, pro ratione locorum, temporum, auditorum, & aliarum circumstantiarum, ad captum populi accommodaret, ideoque sublimia regni ecclestis.

lestis mysteria parabolis à semine, *Matth. 13. Luc. 8.* à vinea, *Matth. 20.* à nuptiis, *Matth. 22.* ab ovibus, *Johan. 10.* Petitis, similibusque rebus vulgo hominum notissimis explicavit: nullo etiam alio instituto prædicavit, quàm ut intelligeretur: adhæc uberiorem explicationem petentibus, libentissimè eam dedit: Constat inde, nulli Laico, vel prohibitione Bibliorum, vel linguæ peregrinæ usu, vel ullo alio modo mysteria Evangelii occultanda esse. Sed prius est verum, Ergò & posterius.

XVI.

Posthabita igitur vera causa parabolæ, quæ fuit accommodatio ad captum populi, & efficacior insinuatio per rem omnibus notissimam & familiarissimam: Verà etiam causâ datâ explicationis, quia scilicet hi tantùm illam petierunt, reliqui verò neglexerunt, & negligentia sua seipso indignos reddiderunt: Pontificii paralogismum secundum non causam, ut causam concinnârunt: fingentes causam ne probabilem quidem, sed consilio Christi & praxi fidelium prorsus adversam, *Johan. 5. Act. 17. Dent. 17.*

vera causa parabolæ

XVII.

Interim scripturarum interpretationem ad instructionem simplicium, ex publico officio pertinere ad ministros verbi, nemo negat, sed ista interpretatio, quæ ex ipsis scripturis, per earum mutuam collationem seu analogiam, *Roman. 12.* semper haurienda est, nihil commune habet, cum prætorâ dictatura Papalium, quam Hofius ita descripsit: *Si quis habeat interpretationem Ecclesiæ Romanæ, de aliquo loco scripturæ, etiamsi nesciat, nec intelligat, an aut quomodo cum scripturæ verbis conveniat, tamen is habet ipsissimum Verbum Dei,* (alleg. Chemnit. Exam. Trid. part. 1. pag. 107.)

XVIII.

Idem Hofius (ut hoc quoque adspargam) ausus est verbum Dei comparare herbæ, quæ vocatur Rhododaphne, *Bibliotheca* / de qua Galenus libro de simpl. facult. 8. docuit, esse eam hominibus & bestiis damnosam (refert Celichius in Postill. super Evangelium. Matth. 13.) Qui ex hac parabola discere debuisset, verbum Dei esse ejusmodi semen, quod nisi impediatur, certissimum & præstantissimum fructum fert, *vers. 3. 12. 15.* scilicet ad ipsam salutem efficax, *Roman. 1. vers. 16.*

XIX.

Illud, quod Christus hoc loco de fructu centuplo seminis affirmat,

R.

mat,

3.
De centesimo, sexagesimo & trigésimo fructu.

mat. Matthæus ita refert: aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigésimum dedit, cap. 13. vers. 8. Unde trita illa Papalium explicatio non videtur prætermittenda, quæ isthæcad distinctos status perfectionis, diversimodè quidem, Autore Hieronymo & aliis accommodatur: præcipuè, cum Costerus illam Hieronymi interpretationem pro optima commendat.

XX.

Sic enim scribit: Numeri hi triginta, sexaginta, & centum diversimodè à Doctis exponuntur. Optime tamen B. Hieronymus, ac post illum Beda reddiderunt: ut nimirum trigésimus sit conjugatorum, sexagesimus viduarum, centesimus virginum: Eadem enim concione quidam ad matrimonia invitantur, ut ibi Christianam vitam in timore Domini vivant: alii ad vidualem continentiam, quam Deo offerunt: alii ad vota virginitatis. Trigésimus conjugatorum est, tum quia triginta annorum ætas certam: nimis est aptissima, ferendusq; laboribus, qui illum statum abundantius, quam alios consequuntur: tum quia conjuges sincera fide solent esse contenti, quæ Trinitate & Decalogi observatione absolvitur: difficulter enim ad perfectionem perveniunt. Sexagesimus viduarum, quia ætas illa quietis est: tempus enim tum est, ut delectetur homo in fructu operum suorum. Hoc viduarum est, quæ post graves matrimonii labores, in Christo debent quiescere, ac meditationibus precibusq; se dare, recogitantes hujus vite nequitias & futuræ eternitatem, quæ conjugum jam præcessit. Hinc primitiva Ecclesia sexagenaria aiebantur vidua. Centesimus virginum est: ille enim status perfectissimus est, supra quem, sicut nec supra centum non ascenditur, nisi reperendo geminandos, numeros priores. Hi tres status fructus hos diversos faciunt, partim in hac, partim in altera vita, pag 596.

XXI.

Prolixa quidem est hæc explicatio, atque vix digna enarratione: quia tamen sæpe fit mentio hujus applicationis, & Costerus quasi universaliam mysteriū hujus allegoriæ evolvere studet, etiam sequentia adscribere voluit propter discentes. In hac vita (inquit) fructus verbi aestimatur juxta operatione seminis. Sicut enim sementis opus est, alia semina generare: ita & opus divini verbi est hominem spirituales facere, & a malo avertere. Hoc tribus modis fit, primo abstinendo a carnis voluptatibus illicitis, sicut se conjugati continent, secundo abstinendo in futurum ab omni carnali copula, ut vidua faciunt, Tertio servando virginitatem illibatam. Conjugati spirituales sunt: quia spiritu Dei mandata ejus custodiunt, & in carne

non peccant: vidua, quia se in continentia solo Deo occupant: virgines, quia Angelicam degunt puritatem.

XXII.

Pergit autem pag. 597. Quantum ad vitam futuram, quae etiam huius seminis fructus est, Roman. 6. vers. 22. certum est, premia fore diversa. Conjugati illis habent trigessimum, id est, plenam Trinitatis mercedem; vidua primum habent duplicatum, tum, quia praeter suum non cognoverunt alium, tum quia post primum noluerunt secundum. Virgines numerum habent perfectissimum, & sunt cum Christo in summo. Notandum viduarum premium excedere tricenario premia conjugatorum: Virginum autem quatuordecenario premia viduarum, primo, quia vidua conjugatis in quibusdam conveniunt: quod utrique scilicet virginitate careant, carnis actus experti sint, &c. Virgines autem in castitate integra perfectae sunt: ideo illis numerus integer, & perfectus compevit centenarius, Secundo, quia conjugati & vidua fructum tantum habent juxta castitatem status sui. Conjuges triginta, viduae triginta amplius, id est, sexaginta: Virgines autem praeter additamentum aliorum triginta, unde nonaginta conficerentur, accipiunt insuper denarium, aureolam videlicet, quia in carnis certamine nunquam ceciderunt. Vide etiam ex Thoma, Anton. de Gislandis, dub. 19. 20. 21.

XXIII.

Esto hoc discipulis specimen exquisitissimae subtilitatis & Seraphicae sapientiae, quam aliam Jesuitae jactant. Quivis enim deprehendit, scopas exhiberi dissolutas: Hypotheses allegoricae hujus interpretationis sunt falsae, & mera petitione principii sese obtrudunt: cum tamen allegoria quavis omni vigore careat, nisi hypothesis indubitata veritate nitatur. Hic tamen si verae essent, male nihilominus cohaereret applicatio.

XXIV.

Relinquimus ergo totum hujus commensurationis lusum suis Autoribus: ista tantum adjicientes: Nullum statum hujus vitae per se intrinseca aliqua sanctitate antecellere alium, dictum est Dom. II. Epiph. circa eandem quaestionem: & patet id ex Gal. 3. vers. 28. 1. Cor. 7. vers. 17. & 27. 2. Quomodo conciliat Costerus illud antiquum: In conjugio vivere est secundum carnem vivere, Rom. 8. cum hoc suo: Conjugati sunt spirituales, quia in carne non peccant, & mandata Dei custodiunt. 3. Quicunque ad salutem aeternam perveniunt, ad veram perfectionem veniunt, 1. Cor. 13. Sed conjuges eo perveniunt, 1. Timoth. 2.

Ergò veniunt ad perfectionem veram & solidam, licet non ad illam imaginariam, qua sese Monachi ex sua persuasione solantur. ⁴ Quæ ratione non assurgimus supra centum, eadem etiam supra denarium non assurgimus: videlicet sine repetitione præcedentium numerorum: vicissim, qua ratione denarius non est summus, eadem nec centenarius, quia progressus patet eadem via ad millenarium. ⁵ Semen cœleste revêra gignit spirituales, *1 Petr. 1. vers. 23.* sed omnes, qui illud fidei corde suscipiunt & fovent, citra respectum statuum: non autem iis, modis, quos Costerus hîc fingit,

XXV.

Quicquid dicant Papistæ de optima Hieronymi explicatione, nos dicimus, potius *καταμαρτυρ* Spiritus sancti diversa dona notari, pro ratione vocationis cujuslibet, *1 Corinth. 12. Romanor. 12.* (Dietericus in Analyfi.)

XXVI.

4.
De triplici-
bus fructuo-
sis auditori-
bus, secundum
Costerum.

Affinis huic distributioni est illa, sed itidem, præter imaginationes monasticas, omni alio fundamento destituta. qua Costerus fructuosorum quoque Auditorum tres classes constituit, quot etiam infructuosorum sunt: *Prime viam perfectionis ingrediuntur, vel in virginitate, vel in cœnobio, vel in Martyrio: Secundi vero non ascendunt, faciunt tamen plus, quam homines solent, Sacramenta sive suscipiunt, infirmos visitant, liberales Eleemosynas dant; bis ter jejunant in septimana, quotidie sacrificium audiunt. Tertii tantum non faciunt, peccata tamen mortalia declinant, servant præcepta Dei & Ecclesia, & vivunt, ut simplicem decet Christianam,* (part. 2. Conc. pag. 537.)

XXVII.

Sed, mi Costere, unde dabis hos simplices Christianos, qui peccata mortalia vitant, & præcepta Dei servant? Vel illud unicum, *Deut. 6. Matth. 22.* de diligendo Deo ex toto corde? Et tamen audes longè perfectiores Deo sistere: etiam secundum ideam Pharisæi: *Luc. 18?* Suo loco gradus donorum & perfectionis inter Christianos in hac vita; gradus item gloriæ in futura, nec ignoramus, nec negamus, *Eph. 4. Hebr. 5. 1 Cor. 3. Daniel. 12. 1 Cor. 15.*

XXVIII.

5.
An centesimus fructus
incredibilis
sit absq. au-
toritate Ec-
clesiæ?

Quemadmodum autem Cochleus, lib. 2. de autoritate Ecclesiæ & ex illo Stapletonus multa loca colligit, quæ homini in scripturis incredibilia viderentur, nisi Ecclesiæ autoritas accederet, (Exempli gratia; de innumerabili exercitu Davidis, de talentis ab eodem Salomoni reli-

relictis, &c.) allegante Wittack. De script. quæst. 3. cap. 2. pag. 289. 290. Ita inventi sunt, qui etiam hoc exemplum ad similem scopum (extollende scilicet autoritatis Ecclesiæ supra scripturam) urgerent, de centuplo fructu feminis, cum experientia vix quintuplo vel decuplo, fidem faciat.

XXX.

Quasi verò inde possit aut debeat scripturæ veritas & autoritas in dubium vocari, si incredibilia rationi proponit! Nonne mysteria Evangelii præsertim incarnationis Filii Dei, omnè captum transcendunt, & tamen ratio est captivanda sub fidem, 2. Cor. 10?

XXXI.

Ad rem ipsam dicere possem, in parabolis posse sumi quædam hypotheticè, etiamsi experientia talia exempla non subiciat, sicut de debito decies mille talentorum, *Matth. 18.* de pastore relinquire 99. oves propter unicam &c. Testatur autem Camerarius, non opus esse allumento figuratæ hyperbolæ: Esse enim revera aliqua loca mundi ita fertilia, cum Herodotus scripserit, *Babyloniæ regionem trissexagesimam ferre* (In homilia Græcis.)

XXXII.

Stapletonus in Catholico talem thesin nobis opponit: *Verbum Dei est propriè verbum prædicatum, non scriptum.* Hanc demonstrat hoc Syllogismo: *Seminare est prædicare, unde illi, super quos seminatur, dicunt: et audire Evangelium.* Item: *Seminis natura est spargi ab agricola in terram, nec recipi à terra, nisi spargatur, vel monstrum, vel miraculum est, terram sine agricultura bonum triticum producere.* Jam subsumit: *Sed verbum Dei comparatur tali semini.* Et concludit: *Ejus igitur propria natura est prædicari & annunciari viva voce, ut audiatur, non scribi in codicibus, ut legatur, ordinariè loquendo, &c.*

6.
An scriptura
sacra sit
verbum Dei?

XXXIII.

Respond. Primò ad majorem. Semen est semen, etiamsi nunquam spargatur: Et sic verbum in codice scripturarum contentum est verbum Dei, etiamsi neque legatur, neque prædicetur. Deinde discernenda est prædicatio, à modo prædicandi: sicut & feminis sparsio à modo. Principalis sanè modus est, per ministerium publicum & ordinarium, non tamen solus, quia verbum Dei propagatur etiam per institutiones, domesticas & scholasticas, & alia pietatis exercitia: neque ipsa lectio, ruminatio & meditatio verbi privata à modis prædicandi

eandi prorsus excludenda est. Sic etiam ab ordinaria seminatione modo tantum differt illa sparsio seminis, quando in messe, vel inter spicilegia, quædam grana è manipulis excidunt, vel circa idem tempus grandinis & turbinis impetu excussa, in agro relinquuntur: Certè illa semina à terra excipiuntur, radices agunt, & absque monstro aut miraculo fructum ferunt, licet manu agricolæ non sparsa: Atque hoc modo ferè omnia sylvestria prosemantur. Denique si de natura seminis est spargi & prædicari, sensu Jesuitico, non scribi & legi, sequetur, verbum scriptum prorsus non esse semen cœleste ad fructus spirituales regenerans: sicque solis traditionibus, absque omni verbo scripto, plantandam esse Ecclesiam. Sic concionator in pago, qui tantum legit & predicat, ipsi autem non prædicatur, erit sterilis ager, utpote semine verbi divini per multos annos non conspersus.

XXXIII.

An homo propriis suis viribus cooperetur ad fructificationem verbi salificam?

Pro viribus liberi arbitrii seu pro naturali quadam habitudine hominis, ad semen verbi divini excipiendum, fovendum & conservandum fructuose: insigniter militare putant hanc parabolam ferè omnes Pontificii. Costerus scribit: CHRISTUS non misrogatus explicare voluit parabolam, non quod illi bene faceret, sed ut ostenderet, quod in us, que dat & facit, cooperationem nostram requirat, pagina 565. Idem: Qui verba Dei bene audire voluerit, debet habere inter se aliquid Dei verbo proportionatum: inter se spiritum habere debet, qui externum spirituale verbum percipiat: non, quod necesse sit esse in statu gratiæ. Nam Centurio Cornelius gentilis adhuc erat, cum sermonem Petri audiret, cum omni familia sua, Spiritus sanctus acciperet: Sed ut internas NOSTRAS aures aperiamus, atque inde omnia carnalia excludamus, pag. 562. Alii ita argumentantur: Christus dicit: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Ergo homines per se habent aptas aures ad verbum Dei, ad sui conversionem, cum fructu percipiendum.

XXXIV.

Respond. In primo committitur fallacia secundum non causam, ut causam. Rogantibus explicavit CHRISTUS parabolam, non quod cooperationem ex propriis viribus requireret vel expectaret, sed quia fidelis præceptoris officium sustinebat, cujus est discipulis discendi cupidis nihil denegare: quia etiam in externa pædagogia, in auscultatione & meditatione verbi facientibus, quod Deus ordinis ratione præscripsit, talis gratia divinitus promissa est, quæ illis nullatenus deesse velit.

XXXV.

In secundo, principium petitur: & probatio ab exemplo Centurionis fingitur. Non enim, ut extra statum gratiæ positus Cornelius auscultavit, sed per gratiam Dei illustratum est cor ejus vera fide, qua eadem fide simul in statum gratiæ positus fructuose verbum Dei audit. Hæc enim in cujuslibet non renati conversione simul fiunt: Qui secundum ordinem divinitus sancitum mediis salvificis, verbo & sacramentis utitur, ex operante gratia Spiritus sancti concepit fidem, eademq; fide placet Deo, & media oblata fructuose excipit ad efficaciam spiritualem & salutem ipsam.

XXXVI.

In tercio argumento, partim ab hypothetica ad categoricam, partim ab indeterminato ad determinatum, simul etiam, à mandato ad fieri & posse, male proceditur. Neque enim æquipollent locutiones: qui habent aures, audiant: Et, qui habent aures ex se aptas, ex propriis viribus audiant. Ad hæc, si sententia de auscultatione externæ tantum pædagogicæ accipiatur, parabola nihil decedit, & dogmati, de viribus propriis arbitrii humani in rebus spiritualibus, nihil accedit.

XXXVII.

Discernendus enim est auditus externus seu liberalis, ab interna & spirituali auscultatione, quæ nihil aliud est, quam obsequium fidei. Priorem illum præstare potest homo nondum renatus, exemplo Herodis, Marc. 6. & Sergii, Act. 13. & aliorum, Amos 8. vers. 11. 2. Timoth. 3. vers. 7. ipsa etiam experientia teste in adversariis veræ religionis, aut in aliis, eruditis quidem, sed vera fide destitutis, qui textum Biblicum legere, meditari, disputando excutere, commentariis illustrare & verum sensum scrutari atque docere solent. Et sanè externus auditus ordinis ratione semper necessarius, ubi ordinaria Spiritus sancti illuminatio expectari debet. Posteriorem autem, hoc est, fidelem auditum, nostris viribus expressè denegant scripturæ, 2 Cor. 3. vers. 5. 1 Corin. 2. vers. 14. Obstat enim congenita extrema cæcitas & corruptio intellectus voluntatis nostræ, Ephes. 5. Rom. Rom. 8. Psalm. 14. Matth. 16. Luc. 24. Ezech. 36.

XXXVIII.

De qua etiam hoc ipsum Evangelium ex Es. 6. admonet, quod multi audientes non intelligant, & videntes non videant, nempe propter

oscitan-

oscitantiam, contemptum, duritiam cordis, & alia peccata, à gratia Dei, qua sola mediante videre poterant iusto iudicio derelicti.

XXXIX.

Vicissim idem textus docet, genuinum & fidelem intellectum parabolæ, seu mysteriorum regni per parabolas propositorum, discipulis & aliis fidelibus non provenisse, ex proprii ingenii sagacitate, vel bonitate, sed *D A T U M illis esse*, nempe à Deo, à quo omne donum bonum, & omnis huiusmodi sapientia provenit, *Jac. 1.* planè, ut alibi scriptura loquitur, quòd Deus cor lapideum auferat, *Ezechiel. cap. 36.* & cor novum, *Psal. 51.* & cor ad intelligendum det, *Deut. 29.* quòd Pater cœlestis revelet, *Matth. 16.* trahat, *Johann. 6.* det potestatem filios Dei fieri, *Johann. 7.* det velle & perficere, *Philipp. 2.* Ita, ut nemo, nisi per Spiritum sanctum, possit Christum Dominum vocare, *1 Cor. 12.* & fides prædicetur donum singulari bonitati *D E I* adscribendum, *2 Thessal. 3. vers. 3.*

XL.

Quando igitur CHRISTUS hortatur: *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Item, paulò post: *Videte, quomodo audiat:* nequaquam habilitatem propriarum virium præsupponit, aut exsuscitationem earum à propria nostra industria requirit: sed hoc vult, ut partim, quæ in externa pædagogia possumus, fideliter, in primis amolendo saxa, spinas, & similia impedimenta, faciamus: parùm verò, quòd nostris viribus ad fructum faciendum deesse sentimus, à Deo petamus: quodq; Spiritus sancti gratia conceditur, eo rectè & devotè utamur, (*Hunn. de Prædest. pag. 244.*)

XLI.

Ex eo, quòd hoc in loco Christus voluptates, sollicitudines & divitias inter impedimenta numerat, quæ fructificationem seminis intercipiunt: vehementer gloriantur Monachi de sua abdicatione, suadentq; aliis, ut omnia relinquunt, è mundo (ut loquuntur) discedant, in eremum sese abdant, quo inoffenso pede ad perfectionem coram Deo pervenire queant.

XLII.

Anabaptistæ etiam eodem spiritu ducti præsentī textu abutuntur ad persuadendum simplicioribus, alienum esse à Christiana pietate, tenere proprium, divitias possidere, aut Magistratum, vel aliud officium, cum potentia & sollicitudine conjunctum, obire.

non potest
remanendo
2. a deo petendo
3. a spiritus sancti
obtinendo

2.
An divitiæ,
& officia po-
litica fugien-
da?

XLIII.

Verum utrique ab eo, quod per accidens contingit, procedunt, neq; enim vel divitiarum possessio, vel ordinariæ sollicitudines officii, vel potestas Magistratus per se impedit fructum verbi divini, sed tantum abusus, qui per accidens accedit: idcirco propter accidentalem abusum res ipsa, legitimusq; illius usus, rejici non debet.

XLIV.

Prorsus alienum est à parabola, & per se satis aculeatum, quod Costerus hoc loco intermiscet de Magistratibus & politicis, eos spinis comparans. *Idonei sumi*, inquit (videlicet homines temporalibus immerfi & politici) *ad sepimenta, ut post illos tutior sit ager bene consitus. Ut plurimum enim spinosi sunt Domini, Principes, Nobiles, potentes hujus seculi, qui auctoritate & potentia sua vulgum conservant ac tuentur ab hostibus, Duriores sunt stramine, copiosiore indigent alimento, pungunt facile, &c. Ideo multi Principes & Reges tandem contempto seculo, dederunt se viam religiose*, pag. 554.

XLV.

Esse multos in eminentia constitutos, quia potestate sua, ad voluptates aut tyrannidem, abutuntur, negari non potest. Jesuita autem ordinariam potestatem perstringit, tum quia de iis loquitur, qui Ecclesiam ceu sepimentum cingunt & custodiunt, tum quia laudat eos Reges & Principes, qui superstitione sui seculi seducti existimârunt, etiam suo statui & officio singularem impuritatem adhærere, ad quam eluendam tandem monasticam vitam adierunt. Et meliori loco non haberi apud Papistas & apud Monachos Magistratus, aliisque politicis officiis & laboribus occupatos, notius est, quam ut demonstratione egeat.

XLVI.

Dum adhuc priori parti considerationis nostræ immoramur, enarrationi videlicet abusu & corruptelarum, occurrunt etiam duæ ad minimum Calvinianæ glossæ, in scholis Theologicis satis notæ, quibus iniqua vis verbis textus nostri infertur.

XLVII.

In Eucharistia enim controversia anxia sollicitudine eò adacti adversarii, ut exemplis convenientibus demonstrarent, stylo Spiritus sancti non rarò verbum *E s t* pro *significat*, tropica acceptione, usurpari, etiam hanc propositionem protraxerunt: *Semen est verbum DEI*.

9.
An Magistratus rectè comparatur spinis?

9^o Calv.

10.
An in propositione: *Semen est verbum Dei Est* pro *Significat* potestur?

XLVIII.

Sed multoties responsum id quod res est, in ista & omnibus similibus locutionibus nullam metonymiam locum habere, & particulam *E s r* nativam suam significationem retinere, etiamsi per institutam similitudinem, subiectum vel prædicatum per metaphoram à simplici sua significatione ad aliam transeat. Ut hoc loco, semen per metaphoram notat non terrenum semen hordei aut tritici, sed semen agri Dominici, semen illud incorruptibile & immortale, ut Petrus vocat, *1 Petr. 1.* quod semen non significat verbum Dei, sed verisimè est ipsum salvificum & efficacissimum verbum Dei (Hunn. de coena pag. 409.)

XLIX.

II.

De absoluto
decreto re-
probationis.

Verùm detestabilior est illa corruptela, quâ propter verba: *Vobis datum est nosse mysteria regni, reliquis autem per parabolam, ut videntes non videant, & audientes non intelligant,* Deo affingunt absolutum aliquod decretum, de omnibus reprobis, sola ipsius absoluta voluntate, absque intuitu aliarum causarum, ita à salute exclusis, ut Deus nunquam voluerit eos salvos fieri, Christus etiam mortem suam pro illis nunquam destinaret, & quamvis vocatio externa, annunciatio verbi & promissionum Evangelicarum ad ipsos quoque pertingat, denegari tamen illis, arcano odio & decreto, gratiam illis promissionibus explicatam, denegari omnem gratiam conversionis, ut, si maxime velint, tamen ex hac causa non possint audire, intelligere, credere & salvari, quia Deus nolit.

L.

Quando enim Calviniani à posteriori eventu argumentantur, quòd multi homines, per verbi prædicationem & sacramentorum usum, nec convertantur, nec salventur, cum tamen æqualis sit omnibus hominibus corruptio, inde concludentes, vocationem Dei seriâ intentione non esse universalem, ipsiusq; voluntate absolutâ his non auferri congenitam cæcitate & duritiem, quæ tamen ab aliis per Spiritus sancti gratiam auferitur: Nostræ quidem Ecclesiæ, præter alias invictas rationes, etiam per hanc parabolam demonstrant, culpam non in semine, nec in feminante, sed in terra. hoc est, in hominibus unice hære, & quamvis originalis malicia sit in omnibus æqualis, actualem tamen malitiam infinitam disparitatem inter auditores parere, & sæpe circa officium externæ pædagogicæ, cum negligentia & cæcitate obstinata, cum resistantia & contemptu ita conjungi, ut ob-

Dec. 5. p. 34

Habere
p. 141 p.

q. d. hinc
p. 145

culpa non in semine
nec in feminante sed
terra receptante

stet, quò minùs verbum & gratia Dei ordinaria ratione fructificet: Nolunt tamen in his omnibus conquietescere, adversarii, semper nos ad absolutam voluntatem Dei revocantes.

L I.

Ita enim Beza ad Colloqu. Montisp. paginà 197. scribit: *Cum ex a quo omnes sint surdi & cæci, causa certè non ipsius surditatis & cæcitatibus, sed ear hanc surditatem & cæcitatem in aliis sanet, in aliis non item, in ipsis non invenietur, sed TOTA est, circa ullum vitium, ex Eius voluntate, qui quorum vult, miseretur, & quos vult indurat, prout ab æterno illi visum est.*

L II.

Et paulò post: *Vobis (inquit Christus discipulis suis) datum est nosse mysteria cælorum, illis verò non item. Sunt enim abscondita à sapientibus; nec in aliis, quàm in suis Deus operatur, ut velint; nec, spiritus ubiq, sed ubi vult spirat; nec omnibus filiis, sed quibus voluit, patrem revelat; nec alii possunt credere, quàm quos Pater trahit; nec alii audiunt, quàm quibus dantur aures ad audiendum; nec alii credunt, quàm ad vitam prædestinati; nec aliis datur, ut fiant filii Dei, quàm qui non sunt nati ex sanguinibus; nec est volentis aut currentis, sed miserentis Dei salus.*

L III.

Respondemus autem: His omnib. concessis (præter solum illud, quasi soli electi credant, aut credere possint, cujus contrarium ex hac ipsa parabola mox patefiet) non tamen sequitur id, quod Beza cum suis complicitibus intendit, videlicet: abscondita esse mysteria, spiritum non spirare, DEUM non misereri, ex absoluta aliqua voluntate, sine culpa hominum.

L IV.

Sicut enim Paulus Rom. 9. affirmat: non est volentis aut currentis, sed miserentis Dei (quibus verbis, non universalem Dei misericordiam restringit, sed proprium meritum, vires & dignitatem propriam excludit) ita alibi miserentis Dei affectum his verbis prædicat: Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, 1 Timoth. 2. DEUS conclusit omnes sub peccatum, ut omnibus misereatur, Rom. 11. &c. Quòd autem ipso eventu non in omnibus talis effectus sequitur, qualis in fidelibus; illud culpâ hominum, non Dei fieri, hac ipsa parabola (ut dixi) evidenter demonstratur. Item, Matth. 23. vers. 37. Hos. 13. vers. 9.

LV.

Nam sicut sese habet voluntas seminantis, & ratio ipsius seminis boni, ad agrum & fructum: ita sese habet voluntas Dei & bonitas verbi cœlestis, ad homines eorumque salutem: sed voluntas seminantis non est, ut major pars seminis sine fructu pereat, sed ut (si fieri queat) singula grana copiosum fructum ferant: Et si semen nec radicem agat, nec fructum ferat, culpa in agro, sentibus & aliis impedimentis, non in semine bono residet. Ergo etiam voluntas Dei per se serio hoc intendit & quærit, verbi etiam cœlestis ea bonitas & efficacia est, ut homines convertantur & salventur, in quos ceu agrum dominicum, semen verbi spargitur (vide Chrysostomum homil. 48. in cap. 13. Matthæi.)

LVI.

Culpa autem hominum negligentium, averfantium, rejicientium, & non raro blasphemantium, & pravis interpretationibus corruptentium verbum fit, ut propter hanc ipsam pertinaciam malitiæ, iudicio Dei iusto, ipsius gratia liberrima destituti, videant quidem, sed non videant, audiant quidem, sed non intelligant, nempe spirituali, fideli & salvifico sensu, qui præter literalem notitiam, ad salutem & regenerationem requiritur.

LVII.

Sicut hoc loco non explicatus est mysticus sensus parabolæ iis, qui ab initio parabolæ audierant, agi non de rebus hujus vitæ, sed ad statum regni cœlorum pertinentibus: audierant etiam exclamationem CHRISTI: Qui habet aures ad audiendum, audiat, quæ ceu valido tonitru quodam percelli debuissent ad necessarium studium, quo & rogare & auscultare parabolæ explicationem debuissent, quemadmodum discipuli & pauci alii fecerunt; hæc autem omnia neglexerunt: Talibus, inquam, qui supina negligentia & manifesto contemptu sese indignos reddiderunt exegei parabolæ. Ut blasphemum foret, si culpa hæc in ipsis auditoribus hærens, ipsi Salvatore tribueretur.

LVIII.

Qui cum etiam ipsam parabolam potuisset illis denegare, tamen illis non minus, quam attentis suis discipulis, eam proposuit, vel ut hac sua benignitate illos ad debitum studium discendi invitaret, vel si in sua negligentia persisterent, ipse per suam benevolentiam & promissionem excusatus esset; illi autem inexcusabiles redderentur.

Sequuntur potiores Elenchi.

LIX.

His ita explicatis deinceps ostendendum est, quomodo hæc ipsa parabola gravissimis quibusdam erroribus, qui nostro seculo in agro Calvinianorum, Papistarum, Anabaptistarum, Photinianorum, & Swenciceldianorum progerminant, expurgandis subserviat.

LX.

Calviniani tria docent & propugnant, quæ cum hujus Evangelii doctrina consistere nequeunt. ¹ Beneplaciti & signi, seu voluntatis arcane & revelatae, discrepantiam apud Deum, etiam in rebus nostram salutem concernentibus. ² Consilium, quod etiam citra universales Evangelii promissiones, & præsupposita absoluta reprobatione damnandorum, ex solo intrinseco sensu fidei & donorum Spiritus sancti, quilibet debeat concludere. se in numero paucorum absolute ad salutem electorum comprehendi. ³ Thesin, quod semel verè renati & vera fide in Christum donati deinceps iterum excidere gratia Dei & spe salutis nequeant.

LXI.

Contra *primum* ita ratiocinamur: Mysteria regni sunt illa ipsa, quæ ad salutem hominum, & ad possidendum regnum cælorum, necessaria sunt. Sed Apostolis & aliis fidelibus, debito modo inquirentibus, datum est nosse illa mysteria regni, Ergò, Data, hoc est, revelata est fidelibus necessaria ratio salutis. Et per consequens, si qua est de aliis rebus & circumstantiis, divinae Oeconomiae reservatis, arcana voluntas DEI, ea tamen ad negotium salutis humanæ extendi non debet.

LXII.

Nam quæ noticia mysteriorum regni ore tenus data & revelata est Apostolis, ea tradita & per illos consignata est in scriptura Novi Testamenti, *Actor. 20. vers. 27. Johan. 20. vers. ult.* quod nec adversarii in dubium vocant. Ergò de voluntate Dei, quoad salutem hominum, ex scriptis Apostolorum plenè edoceri possumus, neque opus est, ut de alia, ab hac revelata voluntate Dei diversa, vel eidem contraria voluntate beneplaciti arcani, suspicemur aut cogitemus.

LXIII.

Idque tantò minùs, quia tam graves causæ obstant, ne cogitemus, Deum aliud verbis revelato, aliud verò tacito beneplacito feriò, effica-

unig. et cruc. galley?

*18.
De voluntate beneplaciti & signi in Deo.
ff. fr. palch. p. 127.
Dau. Lett. p. 13.*

efficaciter & inevitabiliter velle, ¹ Scopus totius scripturæ is est, ut nos de voluntate Dei certa & indubitata, circa omnia & singula sacris literis contenta, edoceat, ² vel contradictoriæ voluntates in Deo essent statuendæ, vel eadē ipsius voluntas contraria veller, quod utrumque absurdum. ³ ipsa scriptura aliàs præberet fomenta dubitationis, quæ tamen huic gravissimè contradicit, *Hebr. 6. v. 18. 19. Rom. 4. v. 26. Jacob. 1. v. 6.* ⁴ Humanæ sanctitati adversatur, aliud palàm, aliud clam velle, *Matth. 5. vers. 37.* Ergò multò magis perfectioni divinæ, cujus vestigia in hominibus apparere debent. ⁵ Sequeretur tam peccando, quàm obediendo Dei voluntatem fieri, siquidem revelata voluntate peccatum quidem prohibere, abscondita autem etiam ad causas damnationis destinaret, ut Beza sentit. ⁶ Deus constitueretur hypocrita: cujus proprium est, bona verbis polliceri, & clam in corde eadem negare & subtrahere. ⁷ Omni & solidà enervarentur consolationes dulcissimæ, *1. Timoth. 2. vers. 4. Matth. 11. v. 28. Ezech. 33. vers. 11. Act. 17. vers. 30.* quia ex puris particularibus nihil sequitur (A. Schafin. de Prædestin. pag. 53. & seqq.)

LXIV.

13.
*Sequitur
 p. 116.
 Unde certò
 statuendum
 an sis electus*

Quoad secundum, non equidem negamus, ad certitudinem electionis & spem salutis in cordibus nostris stabiliendam opus esse, ut corda nostra exploremus, an stemus in fide, *2. Cor. 13. vers. 5.* an credamus, *Johan. 3. Marc. 16.* an Spiritu Dei ducamur, *Rom. 8.* & eodem spiritu pugnemus contra carnem, *Galat. 5. Rom. 6. & 8.* Negamus autem hanc subductionem ex præsentis statu factam sufficere, quandiu universalitas misericordiæ Dei, meritù Christi, & promissionum Evangelicarum in dubium vocatur.

LXV.

Idq; post alia, per hoc argumentū: Si qui cum gaudio excipiunt verbum Dei, & ad tempus credunt, qui tamen in tempore tentationis planè desciscunt: ex solo præsentis & particulari sensu fidei & renovationis, nec ad perseverantiam, nec ad certā salutis possessionem, imò nec, an ipsa fides vera sit, licebit concludere: Sed prius verum, ex nostro Evangelio, Ergo & posterius. Ne jam dicam, quòd isthæc sensu alius exploratio ipsos verè electos, tempore gravissimarū tentationum, in voragine desperationis, omni consolatione vacuos, relinquat.

LXVI.

Quamvis enim Adversarii hac in parte revocent suos auditores ad dicta, *Philipp. 1.* quòd Deus bonum opus perducit ad finem, *Johann.*

hann. 10. quòd oves nemo possit eripere ex manu Dei, &c. tamen hæ promissiones non ex absoluto aliquo decreto (quod nullum est) æstima-
 madae, sed cum conditione obedientiae erga verbum accipiendae
 sunt, qua semel conversi ductum verbi & Spiritus sancti constanter
 sequi debent: Si enim ipsimet sponte sese averrant, & voci pastoris
 obedire desinant, hæ promissiones ad eos non amplius spectant,
 (Hunn. de Prædest. pag. 552.)

LXVII.

Atqui hoc ipsum, ais, nondum concessum est, quosdam ad tem-
 pus verè credere, & deinceps iterum excidere à fide & Spiritus sancti
 ductu? Obverto igitur ex hac ipsa parabola asseverationem Christi
 disertam, perspicuam & omni ambiguitate carentem, qui auditores
 petrae similes ita describit, quòd cum gaudio verbum excipiant, & ad tem-
 pus credant, & tamen iterum desciscant: id quod alibi scriptura tam per-
 spicue tradit, ut mirum sit, quosdam Evangelio addictos potuisse
 in contrarium abripi, 2 Petr. 2. vers. 1. & 20. 1 Timoth. 1. vers. 19. 1 Co-
 rinth. 10. vers. 12. Ezochiel. 18. vers. 24. Hebr. 6. & 10. Roman. 11. vers. 20. 22.
 Luc. 11. vers. 24. 26. &c.

LXVIII.

Regerunt Adversarii: Sed temporaria hæc fides est, ideoq; non vera:
 Non igitur de verè credentibus suspicari aut vereri decet, quod huius-
 modi temporarii delinquant. Respondet pro me Calvinista Petr.
 Bertius: Hi mihi videntur dicere, Bucephalum non fuisse verum equum,
 quia mortuus est. Ad essentiam rei non facit duratio. Visus tam est is, qui
 unum dumtaxat annum durat, quam qui viginti. Et si ve amittatur visus post
 annos viginti, si ve post annum unum, amissio visus vocabitur cecitas, ve-
 rus enim visus amittitur. Eadem quoq; fidei ratio est, quae deservon posset,
 nisi haberetur (In Hymenæo desertore, p. 59.)

LXIX.

Sic & ego: ad veræ segetis essentiam non requiritur duratio:
 Tam vera seges est, quæ jam viret, & postea vel nive suffocatur, vel per
 æstum Solis exarescit, vel à feris depascitur, quàm illa, quæ ad messem
 usque durat: neque sani agricolæ ullum discrimen agnoscunt: Sed
 talis est fides temporaria, secundum descriptionem hujus parabolæ,
 Ergò in sese vera est, etiamsi tandem deficiat. Habuit sui ortus eandem
 causas cum vera fide, nempe eundem seminatore, idem semen, ean-
 dem humectantis & foventis Spiritus gratiam: & non nisi ex deser-
 tione harum causarum tandem deficit.

14.
 An semel be- Halkum p. 137.
 re regenera-
 ti iterum gra-
 tia Dei exci-
 dere queant p. 147. f. 59.

De se unum vel
 vltimè Liti

LXX.

Ipsi Calviniani (referente eodem Bertio, pag. 60.) temporariæ fidei, præter perseverantiam, omnia tribuunt, quæ in vera fide electorum requiruntur: imprimis illud, quod fide temporali credant. Deum sibi esse proprium, & SENSU divina gratia afficiantur: cur ergo positis essentialibus, ipsa essentia, veritas & definitio, propter solum externum & eventuale accidens, negatur?

LXXI.

Concludo igitur iterum cum Bertio: *Temporali non debet opponi verum, sed permanens, & vero non debet opponi temporale, sed falsum. Recta igitur erunt omnia, si dixeris, Fides vel est vera, vel falsa seu ficta. Et vera est vel temporalis, vel permanens: permanens est ex gratia, temporalis vitio hominum, ob neglectum scilicet & socordiam, aut curas mundi, aliaq; causas* (allegato loco, pag. 61.)

LXXII.

Nonne, si à defectione seu defectu perseverantiæ ad non-verum concludereliceret, jam concreata Angelorum & Protoplastorum iustitia & sanctitas pro non vera traducenda foret?

LXXIII.

Contra Concil. Trident. Sess. 7. can. 8. de efficacia Sacramentorum ex opere operato proponimus hunc syllogismum: Sicut sese habet semen verbi divini ad agrum cordium humanorum: ita etiam sese habent sacramenta, quæ in eo prorsus cum verbo conveniunt, quod pari ratione sunt organa, quibus Deus efficaciter in nobis operatur fidem & salutem, Rom. 1. vers. 16. Job. 6. v. 54. cap. 8. v. 51. 2 Cor. 2. v. 15. 16. Sed semen verbi divini non ex opere operato (quando scilicet de facto prædicatur & auditur) sed tum demum fructum fert, quando corde bono, hoc est, fideli, suscipitur & fovetur. Ergo etiam sacramenta tum demum profunt, quando vera fide suscipiuntur.

LXXIV.

Contra eosdè ex textu nostro observamus, à solo Christo verum sensum verbi ejus accipiendum esse, juxta tritum illud: Quilibet est optimus interpret suorum verborum: quemadmodum hic discipuli veram interpretationem ab ipso rogârunt. Quia verò is non amplius nobiscum loquitur coram, voluntatem suam in verbo scripto manifestavit: Quæcunq; igitur obscuriora in sacris literis occurrunt, non à sagacitate humanæ rationis, aut à placitis Papæ, nec aliunde: sed tantum ab aliis scripturis, per fidelem devotamque, hoc est, cum imple-

ratione

15.

Id. q. d. pag. An Sacramenta operentur salutem ex opere operato?

16.

Scriptura interpretatio tantum ex scriptura petenda est.

ratione auxilii Spiritus sancti & pia industria conjunctam, collationem & meditationem, lucem & interpretationem accipere debent. *Roman. 12. vers. 6. 1 Petr. 4. vers. 11.*

LXXV.

Ideo etiam Hugo de S. Charo hic annotavit glossam Bedæ: *Nota, hanc esse primam, &c. ne vel aliud, vel plus, vel minus, intelligere velimus, id est, contrarium vel superfluum, Deut. 4. & 12. Proverb. 30. Apoc. 22. Ideo nullus expositor ausus est manum apponere, ut aliquid adderet Domini- cæ expositioni, quia ipse Dominus eam exposuit.*

LXXVI.

Anilem superstitionem gestandi Evangelia à collo suspensa ad- huc probant Papistæ, quemadmodum ex Salmer. Tom. 4. pag. 614. sequentia Pelargus allegat: *Consuetudo est Christianis, gestare appensum è collo Evangelium, aut alias res sacras sive reliquias: nec ERROR est, si ex reverentia sanctorum deferantur, cum spe, quod forte Deus miserebitur (In speculo Jesuit. pag. 70.)*

17.
De Evange-
lio à collo sus-
penso.

LXXVII.

Quemadmodum etiam Judæi persuasi sunt de suis palliolis seu appendiculis, Num. 15. quas Zizis vocant, quòd sine intermissione eas gestantes, tum alia insignia beneficia lucrentur, tum etiam ad- versus Diabolum Spiritusque malos omnes liberi maneant, (Synag. Jud. Buxd. cap. 4.)

LXXVIII.

Sed Evangelium nostrum docet, semen verbi divini non aliter fructificare, quam si auditum fidei corde conservetur. Unde Chryso- stomus hoc argumentum urget: *Evangelium quotidie in Ecclesia legi- tur, & ab omnibus auditur: cum ergo posita in auribus Evangelia nihil pro- ficiunt, quomodo possunt circum colla suspensa salvare? Deinde ubi est virtus Evangelii in figuris literarum, an in intellectu sensuum? si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu, Ergo melius in corde posita sunt, quam circa collum suspensa, (refert Pelarg. ibid. p. 76.)*

LXXIX.

Atque ipse Salmeron (inquis) *cum spe in misericordiam Dei Evan- gelia gestare jubet, neque profanis aliquam virtutem tribuit: Spes autem & fides non confundit, Rom. 5?* Verùm superstitio yana, non vera fides aut spes illa esse potest, quia nullo verbo Dei nititur, de hu- jusmodi gestatione, cum annexa promissione salutiferæ virtutis, ad- versus morbos aut alia mala, proposito.

18.
An propter
consecratio-
nes Pontifi-
cias Satan
absit à tem-
plis?

LXXX.
Cumque Diaboli, ubi Deus permittit, tanta sit impudentia & po-
tentia, ut etiam verbum auditum ex cordibus iterum auferat, semi-
nationi seu prædicationi & traditioni puri verbi divini proximè ad-
sit, vs. 12. sequè in medium ipsorum filiorum Dei ingerat, Job. 1. Qui-
libet æstimare potest, quanti facturus sit spiritus ille malignus confe-
crationes Templorum Papisticas, de quibus Bellarm. 3. lib. de cultu
Sanctor. cap. 5. docet, *ideo pulsari ostium Templi, & juberi Diabolum
secedere, ut inde ejetatur*: præsertim, cum in illis templis rarò purum
verbum, frequentius aniles fabulæ Monachorum de Sanctis, & ipsissi-
mum verbum Satanæ (tale enim sunt spectrorum conciones de cru-
ciatibus animarum in purgatorio, de virtute Missæ, Vigiliarum & in-
dulgentiarum, &c. longè lateque spargatur.

LXXXI.

19.
Fides verba
salvat.

Ad hæc, quod negant Papistæ, perspicuè docet textus noster,
fidem assequi salutem, seu credentes justificari & salvari. CHRIS-
TUS enim asseverat, idè Diabolum hanc operam dare, ut tollat
verbum Dei è cordibus auditorum, *ne CREDENTES salventur*. Dia-
bolo igitur persuasum est, quod è tot dictis Scripturæ, *Johannis 3.
vers. 16. Marci 16. vers. 16. Johann. 6. vers. 40. Ephes. 2. vers. 8. Roma-
nor. 3. vers. 28. Galat. 2. vers. 16. cap. 3. vers. 22. & 26. &c.* Papistæ disce-
re nolunt.

LXXXII.

20.
Etiam vera
Ecclesia ha-
bet intermi-
xtos malos.

Anabaptistis hæc parabola, & facies Ecclesiæ, ceu agri Domi-
nici, in ea depicta, idè obvertenda est, quia illi, ut & Donatistæ olim,
requirunt in his terris talem Ecclesiam, talemque congregationem
suam esse gloriantur, in qua soli pii & renati, absque intermixtione
hypocritarum & malorum hominum, comprehendantur: unde
etiam nostras Ecclesias, ceu falsas, damnant, quia quotidianis scanda-
lis non carent, & interdum manifestè flagitiosos complectuntur &
tolerant.

LXXXIII.

Quid verò hoc est aliud, quam requirere ejusmodi agrum, in quo
omne semen corde bono excipitur, ad certos pietatis fructus? in quo
nulli lapides, nullæ spinæ voluptatum & solitudinum mundanarum
locum habent? Talis verò ager Dominicus non est, ille ipse videlicet
ager, in quo nil nisi bonum semen veræ & cœlestis doctrinæ ad eum
finem spargitur, ut salutare fructus ad gloriam Dei proferat.

Adver-

Adversus eosdem conceptus est articulus duodecimus in Augustana Confessione. *Damnant nostræ Ecclesia Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum.* Quomodo autem hic articulus stabilitur ipsius Salvatoris testimonio, de credentibus ad tempus tandem deficientibus, supra dictum est, cum adversus Galvinianos, hac in parte cum malefana Anabaptistarum colluvie colludentes, pugnaremus.

LXXXV.

Occasionem & fundamentum asserendi divinitatem Christi, contra Photinianos præbet emphatica vox parabolæ, de exeunte, qui suum semen seminavit, quo citra controversiam ipse Salvator noster representatur, qui à sinu Patris progressus, Evangelii semen intulit, & postea fideliter seminavit. Sic autem seminando & docendo, non alienum verbum, sicut Prophete & Apostoli, sed suum semen seminavit, & tamen verbum Dei (semen enim est verbum Dei.) Fuit igitur ille ipse verus Deus, à quo verbum hoc suam originem, patefactionem, virtutem, & insuperabile robur adversus impetus Satanæ, accepit.

LXXXVI.

Insigne testimonium perhibet parabola nostra efficacia verbi divini, quando illud sincerè prædicatur, & per aures in cor delabitur, contra *Sarvenckfeldium*, qui tale verbum literam mortuam vocabat, & verbum externum: conversionem & reparationem hominis non ex hujus prædicati verbi, sed ab alio interno & cœlesti verbo, hoc est, ab arcano & efficaci tractu spiritus cœlestis, pollicebatur, quasi Spiritus sanctus non per hoc ipsum verbum prædicatum & auditum, sed seorsim & immediata quadam operatione regeneret & convertat.

LXXXVII.

Quod enim Paulus affirmat, *Roman. 10. fides ex auditu est*, idem confirmat nostræ parabolæ explicatio à Christo data: Fructus centuplus à semine est, dummodo bono corde excipiat; Et verbū seminatum (illud verbum quod alibi per petram impeditur, aut per spinas suffocatur) interciperè, est ipsam fidem salvificam interciperè, ne homines ctedant & salvi fiant, v. 12. & 15. non quòd ipsi verbo per se insit quædam quasi naturalis qualitas tam potenter efficax, sed quia semen illud ipse CHRIS TUS seminat, & liberè PER illud verbum, tanquam

147. 146.

21.
Pro vera
deitate Chri
sti, contra
Photinianos

22.
De efficacia
verbi contra
Sarvenckf.

Luc. 10.


per organum à se ordinatum, fidem & salutem operari vult, *juxta* Joh. 17. vers. 20. 2 Corinth. 1. vers. 21. 24. cap. 3. vers. 5. & 7. 1 Petr. 1. vers. 23. Jacob. 1. vers. 18. Hebr. 4. vers. 12. Rom. 1. 16. 2. 10. & Eph. 1. 13. Gal. 5.

LXXXVIII.

Est igitur, ut modò dixi, naturaliter verbo scripto & prædicato non insit ista efficacia, ad modum aliarum Physicarum potentiarum & virtutum: tamen ex ordinatione & cooperatione Dei verè illi inest, in ipso usu, quando scilicet legitime prædicatur & suscipitur, tanquam medio PER QVOD, tam verè, quàm semen tritici suam virtutem secum adfert & exerit in terra bona. Id quod *contra Donatistas* notandum est, qui nullam efficaciam verbo & sacramentis inesse arbitrantur, si à ministris indignis & impiis administrarentur: atque hac ratione virtutem seminis, non solum à seminante principali (qui Deus est, de quo nullum dubium, quod omnem vim verbo addat) sed etiam à seminatore organico, & ab eisdem fide & pietate, simul suspendebant.

LXXXIX.

Ultimo loco *contra Eumonianos & Gnosticos* (quorum illi quidem contendebant, dummodo quis ipsorum fidem, seu doctrinam potius sectaretur, ei nullam perpetrationem & perseverantiam peccatorum obesse posse: hi verò flagitiosissime docebant, Angelos turpi vita hominum placari, & animas hominum idè in corpora miti, ut omne genus libidinis & petulantiae peragant) diligenter ex parabola discendum & observandum est: Illos tantum auditores verbi bonos esse Deoque placere, qui fructus auditus verbi præferunt in patientia, vers. 15. fructus scilicet bonorum operum, qui alibi specialiter explicantur, Galat. 5. Tit. 3. Voluptates verò esse pestilentissimas illas spinas, quibus verbum salutiferum suffocatur, ipsaque fides prorsus incipitur.



23.
Efficacia Verbi
non pendet
à qualitate
Ministri.

24.
Auditoribus
Verbi non licet
secure in
peccatis
Verè.



DISPUTATIO VII.

DOMINICA
QUINQUAGESIMA,

Luca 18. à vers. 31. usque ad finem.

I.



Quomodo Satanæ regnum semper maiorem partem hominum, etiam intra pœnia Ecclesiæ, atque eo ipso tempore, quo id nimè omnium convenit, abripiat & implicet: non solum docuit proxima parabola de quadruplici terræ genere, quorum quartum duntaxat bonum est, & semen cœleste cum fructu excipit: sed & pessima praxis ac pertinacissima consuetudo, hoc anni tempore idem demonstrat, quando ad Bacchanaliorum celebrationem abripiuntur tantum non omnes quos meditatio passionis Christi, consideratio propriæ crucis (suarum inquam domesticarum & totius Ecclesiæ publicarum calamitarum) nec non pia cogitatio de beato ex hac vita exitu, totos, & quidem devotissimè occupare debebat.

Quomodo masteria hujus
Dominicæ vid. Popill. teles.
p. 298.

II.

Hinc præter Evangelicum textum, etiam pius fidelium zelus hac Dominica nostras vindicias adversus Bacchanalia poscere videtur: præcipuè, cum plurimum interfit, qualem à teneris quasi unguiculis juvenus de Bacchanalibus imbibat sententiam; potissimum illa, quæ ideò bonas literas & solidiorem rerum sacrarum notitiam sibi comparat, ut aliquando suo consilio, moderatione, autoritate, potestare & exemplo, reliquo vulgo hominum rectè & commodè præesse & præire queat.

III.

Cum autem cultores Bacchanaliorum duplicis generis sint, absurdiores illi & magis profani, hi verò modestiores quidem, sed non satis

fatis sibi conscientiaę quę suę consulentes: utriusque distincte diversa argumenta opponemus.

IV.

1.
De larvatis
Bacchanaliorum cultoribus.

Priori generi accento illos, qui cum vulgo hominum insaniunt, sine omnibus habentis disciplinaę epulis & comotationibus soleniter incumbunt, spectacula & ludos ludicros instituunt & frequentant, obvelata facie & vestitu diversum sexum mentiente per plateas domosq; circumcursitant, eaq; omnia vel aliqua, vel similia faciunt, quę Bacchantium in Orgiis & Dionysiis Græcorum, seu in Lupercalibus & Bacchanalibus Romanę cęcitatıs, inde à longissima antiquitate, propria fuerunt: ex anniversaria repetitione scilicet nota, hęc verò, prolixitatis evitandę causa, non enumeranda.

V.

Isti omnes considerent: ¹ Quam fœdè opera Bacchantium imaginem Dei, & singularem eminentiam generis humani deforment, contrà autem ad larvas diaboli, ad tenebras sordidas & beluinas quasi immanitates traducant. ² Quam scelerati sint comites Bacchantium, immodestia, *ἀσέλγεια*, ebrietas, *ἀνία*, insania, turpitude, scortationes, cædes, prodigalitas, *μεγροζία* & *ὑπερηλία* planè effrenis, levitas per omnes ordines, inprimis inter tribus opificum nefandis modis grassans & similes, tanto zelo in sacris literis, cum comminatione æternarum poenarum & exclusionis à regno cœlorum, omni tempore & loco prohibiti, *Galat. 5. v. 19. 1 Corinth. 6. vers. 10. Rom. 13. vers. 13. Ephes. 5. vers. 4. & 18.* ³ Quam longè universo schemate segregari debeant Christiani à filiis hujus seculi, *Roman. 12. vers. 2. 1 Petr. 4. vers. 4. 2 Corinth. 6. vers. 14.* ⁴ Quòd Diabolicus iste furor etiam sanis Ethnicis & Magistratibus gentilibus tùm serium ruborem incusserit, tùm severissima edicta prohibitoria extorserit (vide Herodot. in Melpomene de Scythıs, Livium Dec. 4. lib. 9. Augustinum de Civitate Dei, lib. 6. cap. 9. & lib. 18. cap. 131.) ⁵ Quam horrenda specimina hostilium suarum insidiarum, Satanas permissu Dei, inter hujusmodi Bacchantium insanias multoties ediderit, de quib. historię testantur. ⁶ Quam calamitosa sint nostra hęc ultıma tempora, luctum potiùs, quàm concessam hilaritatem, nedum tam incontinentem lasciviendi licentiam, suadentia, contrà verò continuationem timoris, precum & sobrietatis, aliàs semper necessariam, *1 Thess. 5. vers. 6.* nunc inprimis flagrantia, *Math. 26. vers. 41. Ephes. 6. vers. 18.* ⁷ Quamque Totius Ecclesię univer-

universali consensu, hoc ipso tempore ad meditationem ignominiosissimæ passionis CHRISTI, humilimè & contrito spiritu serio instituentiam instigemur.

VI.

Saniore nefandæ hujus festivitatis cultores, non tamen satis sanos, *Proverb. 30. vers. 12.* voco illos, qui priorum quidem mores Dionysios serio averfantur, nihilominus autem in gratiam & memoriam Bacchanaliorum, hoc est, tantum ideo, quia Fasti diem Bacchanaliorum designant, convivia instituunt, vel ad minimum domesticis suis vacationem à laboribus concedunt, aut placentulas cum alio lautiori cibo apponunt: idque vel per incogitantiam, quod rem gravissimi momenti levius expendunt, vel inveterata consuetudine inter eos, quibus cum semper vixerunt, vel domestica & barda antiquis moribus inhærendi pertinacia seducti.

VII.

Cum amicis amicè, & cum infirmis mansuetissimè agendum est: ideoque festi sceditatem, ex intima indole Bacchanaliorum, & ex iis, quæ paulò antè indigitavi, satis notam, nolo quidem amplius exaggerare: hoc tamen postulato extra omnem controversiam posito, Bacchanalia propriè ita dicta, ortu primo, progressu, proprio suo jurè, requisitis, exemplis & documentis omnium seculorum, omnibus cordatis & piis mentibus esse festivitatem prorsus infamem: sequentia tantum ad animum & conscientiam revoco iis, quibus inter Christianos adhuc sanus animus & sana conscientia esse potest.

VIII.

Quicumque, ¹ suspecta & scandalosa non supprimunt pro vitili; ² in actu confessionis circa res liberas (cibum, potum, hilaritatem, vestitum, dies, &c.) adversus vulgi infamiam vel tepidi, vel frigidi sunt; ³ scientes speciem mali non vitant, *1 Thess. 5. vers. 22.* ⁴ Potius conformitatis suæ cum mundo suspensionem excitant; ⁵ Ipsi etiam res suo genere licitas superflucio & vano usu profanant; ⁶ Infirmæ conscientia proximi in adiaphorum usu non parcunt, *Romanor. 14.* ⁷ consuetudine periculosa juventutem & alios simplices involvunt; ⁸ Sola bona sua intentione subnixi; ⁹ in conscientia irreverentiâ, erga ministerium & Ecclesiam, perseverant; ¹⁰ & Satanae singularem gloriationem suppeditant. Illi omnes hac ratione partes Christiani zeli nequaquam tuentur. Reatu omnium enumeratorum tenentur

2.
De modestiorib. ejusdè festi observatoribus.

patres-

patresfamilias, qui propter diem Bacchanaliorum lautitias & liberalitatis tractant domesticos: Ergo partes Christiani male tuentur, & si super ea consuetudine rectius monentes negligant, peccatum mortale contra conscientiam admittunt.

IX.

I. Primò enim, cum propter omnium temporum exempla non tantum mores Bacchantium, sed etiam nomen & memoria deberet esse exosa, lethæaque oblivione digna, *Hose. 2. vers. 17.* omnibus fidelibus: ista solenniori & quasi festiva celebratione usque adeò non obliteratur memoria, ut potius quotannis redintegretur, & ad posteritatem propagetur.

X.

II. Per se quidem nullus cibus, nec abstinentia à cibo commendat coràm Deo, *1 Corinth. 8. vers. 8.* Sicque die Veneris, vel vesci carnibus, vel abstinere per se licet; per se etiam integrum est, die Bacchanaliorum quovis cibo cum gratiarum actione uti: nihilominus quando alii circa abusum hujus adia phori insaniunt. (*Exempli gratia*: abstinentiam à carne die Veneris Papistica superstitione strictè urgent, & die Bacchanaliorum ferè omnes placentulis, non liberè, sed superstitiosè & impie in gratiam festi abutuntur) eo casu actus confessionis apud pios lucidissimè fulgere, hoc est, protestatione & facto ipso in contrarium niti debet, quod tamen nostri, de quibus agimus, minimè faciunt.

XL.

Cum enim exhorrescere deberent ad solam mentionem Bacchanaliorum, eò quòd infandis & infinitis sceleribus illa infamia sunt; cum seriò dolere deberent, priorem partem populi Christiani, in cribro Satanae, hoc tempore longè pejus & periculosius agitari, quàm ullo alio; ideoque ex sincero hujusmodi dolore etiam licitis hoc tempore abstinere: Hi nolunt videri, se stultalia sine omni observatione prætermisisse.

XII.

Certè ex simili & justo zelo nos fractione panis, abrogatione Ecclesiastici vestitus, Exorcismi, &c. (rebus aliàs per felicitatis) abstinemus: tantum ut in actu confessionis zelus noster apertus & conspicuus sit, propterea, quod Calviniani & Papistæ adia phoris istis tam pertinaciter abutuntur.

XIII.

III. Unde speciem illam mali non vitant, quam alii, prorsus ex Bacchantium spiritu præbent. Quamvis enim prætendant, se ex jure libertatis suo ad placitum uti, imò se ideò lautiori cibo exhilarare domesticos, ut per eam occasionem fœditatem priscorum Bacchanaliorum ipsis explicent: Communis tamen interpretatio aliorum præponderat, quæ factum non ex eorum conscientia, nemini foris notâ, sed ex vulgari istiusque temporis proprio stylo vulgariter interpretatur: unde delirantes in sua insania confirmantur, infirmi verò offenduntur.

XIV.

IV. Perinde, ac si quis inter Pontificios ad celebrationem Missæ, ita gestus suos componeret, quemadmodum alii Catholici, vel in Festo Corporis Christi, aut in aliis processionibus, cum cæteris obambulare, interim aliis orthodoxis persuadere vellet, se non approbationis, sed averfationis studio id fecisse: similiter ridiculi sunt, & gravissimas contra se suspiciones concitant, qui eodem die & modo cum aliis in Bacchanalibus epulantur, interea averfationem ac detestationem festi jactantes & prætendentes.

XV.

V. Qui in usu rerum licitarum sese proditoribus patriæ assimilat; qui jejunia observat ex observatione Papæ; qui inediâ sese macerat in honorem S. Ottiliæ, &c. pessime facit, & in genere opera, suo loco bona, propter annexam superstitionem, aut circumstantiam improbam fœditâ se contaminat: Quomodo igitur improba non videatur hilaritas & liberalitas illa erga domesticos, quæ ex observatione festi Diaboli suscipitur, ad similitudinem eorum, qui eodem tempore donis se abutuntur.

XVI.

VI. Dicta Pauli, *1. Cor. 10. 14.* docuit, puris & mundis omnia esse munda; & *1. Cor. 10. 14.* de idolothytis scripsit, eorum esum etiam in conviviis infidelium, non obesse conscientis fidelium rectè informatis: facile quidem admittunt, ut cibus etiam in gratiam Bacchanaliorum paratis, extra casum scandali, vescamur; unde etiam longè aliter de domesticis ex nutu patris familiæ, ut & de convivis ex nutu convivatoris hoc tempore epulantibus, quàm de ipso patre familiæ & convivatore, Bacchanalia ex instituto deliberato observante, judicamus: Eadem tamen, quæ allegato loco in casu scandali, de Idolothytis scripta

scripta sunt, etiam de eduliis Bacchicis nobis dicta sunt: *videte, ne potestas illa vestra offendiculo sit infirmis: Etenim, si quis conspexerit Te, qui habes scientiam in epulo idoli (in convivio Bacchanaliorum) accumbentem, nonne conscientia infirmi adificabitur ad edendum immolata idolis? Et tua scientia peribit frater infirmus, propter quem Christus mortuus est. 1 Corinth. 8. vers. 9. 10. 11.*

XVII.

VII. Certè explicari non potest, quàm perditè hac ratione corumpantur animi liberorum, domesticorum, discipulorum, subditorum, adeò, ut deinceps vix per omnem ætatem dediscant huiusmodi consuetudinem, in qua exemplis suorum prepositorum educati sunt: Et, si fateri velimus, quod res est, leviculus hic (ut videtur) & domesticus Bacchanaliorum cultus primò inescat hominos, ut in adulta ætate magis magisque ad deteriores gradus abripiantur: præsertim si studio observandi Bacchanalia à juventute inveterato, tandem etiam potentia, facultatum opulentia, Magistratus indulgentia & similes quàm violentæ occasiones subserviant.

XVIII.

VIII. Quando autem de intempestivo & scandaloso isto frixorum cupediorum usu admonentur Christiani omnium ordium, parata & principalis responsio est ista, etiam literatis, non raro verbi divini ministris satis familiaris, se optimâ, hac vel illa intentione, hanc consuetudinem domesticam ita observare, ut interim alieni sint ab omnibus Bacchantium levitatibus. Verùm, ut bona intentio sola nihil excusat, ita hoc tempore in primis prætexi nequit, quo quomodocumque, quicquid fit, ex observatione Bacchanaliorum fieri omnes summi infimique judicant.

XIX.

In quovis adia phororum intempestivo usu prætendi posse bona intentio, seu scientia, & propriæ conscientie libertas, ut Paulus vocat. Non autem admitti, nec sufficere huiusmodi domesticum iudicium, constat ex Roman. 14. vers. 15. *Si frater tua esca perturbatur, iam non ambulas in charitate, vers. 21. melius est te abstinere cibo & potu, quo frater tuus offenditur.* Et 1 Corinth. 8. vers. 9. *Cavere, ne libertas vestra cedat in offendiculum infirmi,* 1 Corinth. 10. vers. 23. 24. *Omnia quidem mihi licent, sed non omnia adificant, Philipp. 2. vers. 4. nemo querat, quæ sua sunt, sed quæ alterius sunt.*

XX. Neque enim est scandalum acceptum, sed abusu libertatis datum, quando offenduntur pie mentes, quæ observant, quotannis, pro concione hujus Dominicæ, magno zelo & detestatione in Bacchanalia inveni pastores, nihilominus autem in ædibus etiam eorum, qui omnium maximè zelum averfationis demonstrare debebant, operam sedulam dari, quomodo tempori (ut loquuntur) aliqua ad minimum ratione satisfiat.

XXI.

Super his omnibus instantiâ propriæ conscientiæ constringimur: Hoc tempore quadragesimali, aut certe ejus parte potiori & hebdomadæ Passionis propiori, jam antiquitus abstinemus à nuptiarum festivitatibus, à musica publica & similibus: non quod per se hoc tempore illicita sint, sed quia modestia Ecclesiæ nos peculiariter ad humilem venerationem Passionis Dominicæ revocat. Et nos titulo tenus sanctuli, ea ipsa Dominicæ & septimana, qua Evangelicus textus, ex intimatione Christi, meditationem Passionis salutiferæ solenniter exorditur, Bacchanalia celebramus? hoc est, in memoriam istius festi universam nostram familiam ex porrectiori fronte esse volumus?

XXII.

IX. Esto igitur hæc consuetudo per se extra vitium & justam reprehensionem, libera; tamen irreverentiæ & pertinacis inobedienciæ crimine sese obstringunt auditores, contra Matrem Ecclesiam & patres suos spirituales, ministros verbi, quando hi, & ista per hos, quotannis dehortatur ab omni celebratione Bacchanaliorum, liberi autem spirituales contrarium faciunt: planè ut gravissimum peccatum committit filius, qui rogatu & monitu patris, à re, aliàs prorsus libera, non abstinere, etiam si pater non semper rationes mandati reddat. In amici gratiam omittimus, quod illum averfari scimus, aliàs nostro voto & lubitu nunquam omissuri. Nos verò in gratiam Pastorum animarum nostrarum, ipsiusque Matris spiritualis, Ecclesiæ dico Electorum, obtestantis & serio monentis, nolumus renunciare Dionysijs epulis, quas tamen alio tempore centies licet compensare.

XXIII.

X. Cogita hic de tacita gratulatione Satana: En, inquit, sanctulis illis nec universus Papatus abstinentiâ à carne certis diebus persuadere; ne Reformata Ecclesia exorcismum dissuadere (res

per se liberat) hactenus valuit: Ego verò illos paratos & obsequen-
tissimos habeo ad festivitatem Bacchanaliorum, à me in fraudem
omnis pietatis inventam, certo cibo sine intermissione prosequen-
dam: frustra reclamantibus pastoribus & propria conscientia sanio-
ra dictante.

XXIV.

Circumspectius igitur deinceps agant omnes Antistites, neque
extenuent, quod tanto periculo scandali evidenter conjunctum est:
Pastores Ecclesiarum à zelo detestationis nihil remittant: conscien-
tias fideliter informent, ne nullum peccatum statuunt ibi, ubi mi-
nus peccatur: bonis exemplis præeant seniores junioribus: quan-
tò validius grassantur seculi mores, tantò animosius admoneant Ma-
gistratus debiti officii: Omnes, inquam, quibus gloria Dei, & Christianismi,
illibata conscientiarum integritas, & Posteritatis recta
informatio serò cordi est. Sat enim est nobis, quod antea cto vitæ
tempore libidinem gentium patrauerimus, cum incederemus in pro-
terviis, cupiditatibus, vinolentiis, commellationibus, computationi-
bus & nefariis simulacrorum cultibus, 1 Petr. 4. v. 3.

XXV.

Qui verentur, ne per lautioris cibi in Bacchanalibus denegatio-
nem, suspicionem, vel sordidæ tenacitatis, vel avaritiæ, vel Timonia-
næ tetricitatis apud domesticos incurrant: facile alio tempore & oc-
casionem omnia compensare, suamq; tum liberalitatem tum benevo-
lentiam, abunde demonstrare possunt.

XXVI.

Ceteri, qui vel ferunt, vel connivent ad ea, quæ mutare non pos-
sunt, excusati sunt sincera animi sententia & confessione: licet qua-
dam ministeria in ipsis actibus Bacchicis defugere nequeant: quem-
admodum & Naaman officiis civilibus circa idolatriam Domini sui,
adstrictus fuit, 2 Reg. 5. vers. 18.

Elenchi aliquot.

XXVII.

In textu Evangelico (ad quem jam nos convertimus) coneci-
atur nobis, de salutifera passione, ipse Redemptor patiens, talem sese
verbis & facto professus, ut vel hoc specimine admoniti, circa omnes
& singulos gradus passionis, sublimitatem personæ pro nobis passæ,
temper in conspectu haberemus.

XXVIII.

Nimirum passus est verus filius hominis, *sed omniscius, & omnipotens filius hominis*, hoc est, ipse æternus, consubstantialis & immortalis Dei Filius, in humanitate personaliter assumpta, tam verè passus est. animâ & corpore. omnia. quæ in historia Evangelica enarrantur, quam verè verus homo fuit.

XXIX.

Omniscientia majestatem persona patiens, & de passione sua differens hoc loco declaravit, quando non tantum ex suggestione Prophetarum, quod futurum erat, prædixit, sed etiam exactam impletionem, secundum individuales (ut ita loquar) personarum, loci, temporis, actionumque & passionum circumstantias præcivit & delineavit.

XXX.

Omnipotentiam verò idem Filius hominis passurus exeruit, non minus in eo, quando & ponendæ & resumendæ vitæ facultatem sibi tribuit (*tertio die resurget*) quam restitutione visus, cæco mendicanti præstita, per operationem extra controversiam miraculosam & divinam.

XXXI.

Omnino igitur dogma Arii & Photinianorum prorsus blasphemum est. Et Judæi ipsum DEUM, non tantum hominem, crucifixerunt; quod olim Nestorius, Judæis quasi insultans, negabat; scriptura autem expressis verbis inculcat, *1 Corinth. 2. vers. 8. Actor. 3. v. 15. cap. 20. vers. 28.*

XXXII.

Certè irrisiones, quas Christus hoc textu pronunciat, quarumque formulas Evangelistæ ex ore subsannatorum & conviciantium annotarunt: *Si Filius Dei es, descende de cruce; si Rex Israel es, serva te ipsum; alios servavit, seipsum servare nequit; confidit in Deo, is nunc liberet eum*, *Matth. 27.* non in solam naturam humanam, sed ipsum Filium Dei directæ fuerunt.

XXXIII.

Longè igitur minus, quam Redemptionis mysterium requirit, loquitur illa quorundam Zwinglianorum propositio: *Sola humana natura Christi passa est, sola caro Christi torcular peccatorum nostrorum calcavit.* Quia particula SOLA strictè, ut sonat, accepta, ipsam

3.
Omnipotens
Omniscius
passus est.
substantia pass.

*non sola humana
natura, sed*

personam à passione, præcipuè verò (quod & intendunt Adversarii) Filium DEI ab omni reali communione harum afflictionum carnis, excludit.

XXXIV.

Sic autem vero pondere, dignitate & virtute infinita evacuaretur Passio & mors Redemptoris, quæ debuit esse, non tantùm vera & acerbissima passio, sed etiam Passio & Mors pro mundi vita, *Johannis cap. 6. vers. 51.*

XXXV.

Non quidem vile fuit, sed insigne & summe necessarium requisitum summi Sacerdotis, sese pro reconciliatione totius mundi offerentis, ut esset homo perfectus, sanctus, impollutus & segregatus à peccatoribus, *Hebr. 7. vers. 26. Joh. 8. vers. 46. Esa. 53. vers. 9. Petr. 2. vers. 22. 2 Corinth. 5. vers. ult. Luc. 1. vers. 35.* Sed simul oportuit illum esse verum DEUM, divinaque potentia & sanctitate instructum in ipsis tormentis passionis, in ipsa sui corporis oblatione, quò esset hostia Deo grata, *Ephes. 5. vers. 2.* justitiæ Dei graviter offensæ satisfaciens, & genus humanum ex æterna miseria, peccato, morte & Satana eripiens, efficax etiam ad vitam atq; salutem æternam restituendam.

XXXVI.

Inde igitur solius Christi proprium officium fuit, moriendo restituere rem humanam, livore suo sanare, *Esa. 53.* propitiationem esse in sanguine, *Rom. 3. vers. 25.* reconciliare per mortem. *Coloss. 1. v. 22.* quia persona *θεογενής* & passa est. Ubi placet adscribere verba Chrysostomi apud Damasc. lib. 3. de Orthod. fide cap. 15. *Nunquam quispiam peccaverit, passionem Christi ACTIONEM vocans: In sufferendo enim omnia, quæ illud admirabile opus. Item: Divinitas operabatnr divina signa, sed non sine carne & caro humilia, sed non sine divinitate. Patuit enim carni conjuncta erat divinitas, impassibilis manens & passiones perficiens salutaris (Tom. 1. Gies. disput. 8. thes. 50.)*

XXXVII.

Unde cum de nudi hominis morte multa dicere supervacaneum sit (nihil enim vulgarius & notius est, quàm hominem tandem mori) ipsa tamen cœlestis sapientia necessarium duxit, de sua morte discipulis aliquoties concionari. *Matth. 16. vers. 28. cap. 17. vers. 18. Joh. 2. v. 19. cap. 3. vers. 14. Marci 10. vers. 38. Luc. 12. vers. 50.* Quia magnum mysterium est mori, ¹ sanctissimum, ² ipsum Deum, ³ & mori pro aliis seu in salutem aliorum.

XXXVIII.

Quando autem passum prædicamus ipsum Dominum gloriæ & immortalem Deum, nequaquam facimus cum iis, de quibus Philastrius, fol. 40. refert, quod docuerint, DEITATEM *doluisse*; sed tantum realem *in unam* inter utramque naturam unitam, in opere redemptionis, in passionibus & universi officii partibus urgemus: qua mediante passio & mors ipsi Deo *λόγῳ* (in propria essentia impatibili & immortali) tam verè appropriata fuit, quàm verè caro personaliter ipsius vera humanitas fuit.

XXXIX.

In Catalogo passionum suarum ipse Redemptor reponit talia, quæ non corpori, sed animæ principaliter dolorem afferunt, videlicet ludibriis & contumeliis affici, de quibus Psalmo 69. *probra eorum, qui probris affecerunt te, reciderunt super me*, vers. 10. *probrum contrivit Cor meum, & dolui, & expectavi, qui condoleret, & non fuit, & consolatores, & non inveni.*

XL.

Malè igitur negant Papistæ; Animam Christi sub passione veris & acerbissimis doloribus affectam fuisse. Qui enim in dolore cordis sui consolatione, quam unicè desiderat, destituitur, gravissimos dolores animi patitur: Sed Christus ita passus est, Ergò, idemque Salvator multoties passiones animæ suæ expressit, *Luc. 12. vers. 50. Johan. 12. vers. 27. Matth. 26. vers. 37. Luc. 22. vers. 44.* Nónne anxietas animi ipsi extorsit sanguineum sudorem, ut opus fuerit corroboratione Angelica? Nónne se derelictum fuisse conquestus est, *Psal. 22. v. 1. Matth. 27. v. 46?* Nónne contritus fuit propter peccata nostra, & correctio pacis nostræ supra ipsum, *Esa. 53. v. 5. 10?* Nónne peccatum, *2. Corinth. 5. vers. ult. & maledictio, Galat. 3. vers. 13.* pro nobis factus, iram Dei sustinuit, quam nos debuissimus æternum portare?

XLI.

Tam longa & miserabilis tela passionum acerbissimarum, quas animo & corpore, omnibus membris, ab omnibus statibus, & ab utroque populo passus est *CHRISTUS*: non solum magnitudinem amoris, & dignissimam sufficientiam *λόγῳ* pro nobis soluti, compassionis etiam experientiam ad nostrum solatium, *Hebr. 4. vers. 15.* demonstravit: sed arguit veritatem, tum humanæ naturæ, tum ipsarum passionum.

4.
Christus etiam
iam animam
suam passus est

5.
Christus verus
homo
fuit & liberè
fragilitati
humana sub
iectus.

XLII.

Quod notandum contra Marcionitas & Basilidianos, qui veritatem hanc abnegarunt. Illi quidem, Cerdon scilicet & Marcion, asseveraverunt, Christum in hominis forma, sine carne, putarè & umbratiler tantum, natum & PASSUM esse (apud Irenæum & Philastrium.) De Basilide scribit Philastrius, pag. 15. *Christum dixit quasi per umbram putarè passum fuisse: Simonem etiam Cyrenæum pro eo ad passionem venisse, quia portavit crucem.*

XLIII.

Hoc in est umbratiler, & sine vera carne pati, quando flagellatus & crucifixus est Christus, cum manifesta effusione veri sanguinis, quando tristitia & dolor animæ cruorem per omnes partes totius corporis extrudit? Itane blasphemia tanta fidem obtineat in Ecclesia, contra quam ipsa persona passa verissimos dolores describit, sibi que ut filio hominis, seu Mariæ adscribit? Certe passionum veritatem ipsi executores Judæi nunquam in dubium vocarunt.

XLIV.

6.
Sponte & vo-
lens passus est
Christus.

Diligenter autem non solum multitudo, varietas & acerbitas omnium & singularum passionum Christi à nobis expendenda est, sed etiam spontanea oblatio patientis, qui quicquid usque ad ultimam consummationem sustinuit, *VOLENS* subiit, *Psalms. 40. vers. 8. 9. sciens & volens*, unà cum discipulis, *ascendit Hierosolymam*, ut in loco ad hoc sacrificium destinato, sese sponte offerret illis ipsis passionibus, quas ordine discipulis recensuit, ut intelligerent, se sponte sua paratum esse ad implendas prophetias tam dura & aspera sibi definentes.

XLV.

Contra Ari-
um & Papi-
stas.

Quod si ipse Filius Dei talia omnia volens in se recepit, ab ipsa hac humilitate & obedientia voluntaria & arbitraria, per se malè concluditur, vel à Arianis adversus personæ ipsius majestatem divinam, vel à Bellarmino contra sanam doctrinam, quòd Christus secundum utramque naturam noster Mediator non fuerit, quæ Deus & hominum officium redemptionis perficiens.

XLVI.

Spontaneam enim & arbitrariam obedientiam, subjectionem, ministerium, potest in se recipere etiam superior, nedum æqualis, quod Bellarmini argumentum & axioma: *Quicumq; obedit, minor est eo,*

est eo, cui obedientiam præstat, perperam negat, libro 9. de CHRISTO, cap. 5. parùm memor, quod ipsi *ἀδύμ* & Filio Dei missio in carnem tribuatur, itidem citra inæqualitatis suspicionem, eò, quòd voluntariè ad istam missionem sese obtulit in consilio sacrosanctæ Trinitatis æterno.

XLVII.

Postquam nos hoc loco ex ore Christi edocti sumus, passiones ejus omnes in Prophetis de ipso cœu vero Messia prædictas, ideoque implendas fuisse; id quod res ipsa loquitur per typos & vaticinia expressa, *Genes. 22. Num. 22. Jonæ 1. Exod. 12. Genes. 3. Psalm. 22. & 69. & 110. Esaiæ 50. & 53. Zach. 11. &c.* Nihil morerur præfractam & obduratam pertinaciam Judæorum, qui propter hanc ipsam ignominiosam passionem & mortem, Jesum Nazarenum pro vero Messia & Salvatore mundi agnoscere nolunt.

Contra Ju-
deos.

XLVIII.

Nos enim invertimus argumentum: Quicumque præter alias prophetias omnes de futuro Messia editas, etiam illas exactissimè implevit, quæ de ejus passionibus, ignominia & morte sonant, verus ille Messias, veris notis & *τεμαχίοις* insignis est: Sed Filius Mariæ Jesus Nazarenus, præter alias omnes, has modò dictas & allegatas prophetias exactè implevit, Ergò.

XLIX.

Hinc sermo de cruce Christi, aliis stultitia & scandalum, nobis est virtus & divina sapientia, *1 Corinth. cap. 1. vers. 18. 24.* Hinc gloria-mur in cognitione crucis CHRISTI, exemplo Pauli, *1 Corinth. 2. vers. 2.* Absit à nobis in alio, quàm in cruce Jesu Christi gloriari, *Galat. cap. 6. vers. 14.*

L.

Præsertim cum prophetica vaticinia de Messia humili, paupere, passuro & morituro tam evidentia sunt, ut illorum fulgor etiam Judæos perstrinxerit: unde, perversè tamen, duos Messias sibi somnari cœperunt: unum pauperem & simplicem, quem Ben-Joseph filium Joseph appellavit: alterum Ben-David, filium Davidis, regio splendore & potentia præclarum (*Synag. Jud. Buxdorfii cap. 36.*)

LI.

Nos autem hæc assignatio propheticarum prædictionum peculiariter admonet, Salvatorem nostrum non ad nutum hostium, sed ex decreto Dei, istis vaticiniis jam olim ad institutionem & consolationem

7. pter Messias

7.
Christus de-
creto DEI
passus est.

tionem Judæorum patefacto, tormenta, ignominiam & mortem passum esse, cujus rei Pilatum judicem CHRISTUS expresse admonuit, *Johann. 19. vers. 11.*

L II.

Stolidissima igitur vesania fuit illorum, de quibus Philastrius, folio 16. refert, quod existimarent, *Judam prodatorem bonum opus fecisse: quando tradidit Salvatorem: Sic enim eum extitisse tribus omnis bonæ scientiæ autorem, per quem cœlestia mysteria manifestata sunt: Virtutibus enim in cœlo nolentibus pati CHRISTUM, & scientibus, quod, si fuerit passus, vitam hominibus donaturus sit: hoc sciens Judas, hinc tradidit Salvatorem.* Item Cerinthi, qui *Apostolum Paulum rejectit, Judam autem honoravit* (Ibidem, fol. 17.)

L III.

Si enim Judas tam bonum opus fecit, cur desperavit? Cur dicitur gravius peccasse quàm Pilatus, *Johan. 19. v. 21?* Cur vè illi homini denunciatur à Christo, qui sua traditione hostibus serviturus erat, etiam tùm, cum decretum Dei deberet impleri, *Matth. 26. vers. 24?* Cur Collegium Apostolorum suspensio Judæ applicavit maledictionem, *Psal. 109. Act. 1. vers. 20?*

L IV.

Perquam emphatica est locutio Christi: *Ascendamus Hierosolymam, & PERFICIENTUR in Filio hominis omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, vers. 31.* Sic enim Salvator discipulis suis passionem explicans ultra mortem non progreditur, sed in illa subsistit, & occisionem seu mortem finem omnium passionum constituit, ut & *Matth. 26. v. 38. Philipp. 2. vers. 8. Johan. 19. vers. 30.*

L V.

8.
Descensus
Christi ad
infernus non
fuit passio.

Quapropter descensus Christi ad inferos, in Symbolo Apostolico comprehensus, non rectè refertur ad humiliationem & passionem ejus, ceu residua adhuc pars cruciatuum in inferno demùm sustinendorum, quemadmodum Illyricus putavit (In Clave script.)

L VI.

Quamvis enim iste arbitratus sit, hac periphrasi ea tantùm notari, quæ Salvator pati debuit à Judæis, tamen universalis particula OMNIA extendit sese ad cuncta à Prophetis de passione prædicta: Omnia quæ scripta sunt per Prophetas, perficientur.

L VII.

Miramur autem nos non immerito, quomodo Petrus, sedem sui prima-

primatus seu Papatus aliquandiu Romę figens (ex hypothesi nondum factis demonstrata, imò multis modis suspecta) loco istum honorem acquisiverit & quasi agglutinaverit, ut ex illo omnes veri successores deinceps æstimarentur: Cum Christus, Archiepiscopus omnium animarum indubitatus, Hierosolymis Episcopatu suo fungens, seque ipsum pro hostia offerens, loco similem dignitatem non acquisiverit, ut caput Ecclesię esset Hierosolymitanus Episcopus.

LVIII.

Respondet Stapletonus, ¹quia Hierosolyma delenda fuit, Matth. 24. ²quia non vitale seu principale caput Ecclesię, sed tantum vicarium debuit habere successores, ideoque, ubi externę gubernationis caput Petrus sedem fixit, ibi Ecclesię caput censendum esse (Relect. fidei, cap. 3, quęst. 2. art. 2. pagina 348)

LIX.

Verum in hoc effugio implicatur magna petitio principii, ¹quod debuerit ex sententia Christi esse, & semper manere caput vicarium, ²quod caput vicarium debeat habere successores, ³quod successores eidem loco debeant adherere, in quo primus sedem habuit, ⁴Petrum fuisse huiusmodi vicarium.

LX.

Interim militat præsumptio in re scripturis non expressa, caput vicarium debuisse illum locum honorare, ubi vitale sacerdotio suo fundum est; unde lex Christianorum debuit exire, *Esa. 2.* unde Apostoli in orbem egressi, ubi prima Synodus celebrata est, non Petro solo, sed & Jacobo, Petro, Barnaba, & aliis per scripturam (unicum & verum iudicem) decisivam sententiam definiuntibus, *Actor. 15.*

LXI.

Præterea, si Hierosolyma hodie adhuc habere potest suum Patriarcham, cur non potuisset hospitium præbere Papæ? Annon etiam Roma gravissimos bellorum impetus & dissipationes aliquoties passa est? Annon plusquam septuaginta annis Papam nullum vidit Roma, tempore secessionis in Galliam?

LXII.

Hoc verè misso, illud potius urgeamus, quia summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedek, sui corporis & sanguinis oblatione Hierosolymis facta, semel ingressus est in sanctuarium, æternâ redemptione inventa *Hebr. 9. & 10.* perfectis omnibus, quæ ad sananda vulnera nostra, *Esa. 53.* patiendi fieri debuerunt: superfluum, stultum, improp-

9.
De Pontificatu Romæ
no.

10.
Contra Missam
sani Pontificatus
can.

improbum, & in Christum totamq; doctrinam Evangelii contumeliosum esse sacrificium Missæ, à Papistis excogitatum, in quo incessanter Christus (ut putant) sine cruore Patri cœlesti offertur pro vivis & mortuis, (Trident. Conc. Sess. 23 cap. 1. Can. 1.)

L XIII.

Verum enim & unicum sacrificium propitiatorium pro peccatis est illud, quod in ara crucis Hierosolymis fuit sacrificatum: Ergò, quicquid deinceps in Novo Testamento sacrificii nomine appellatur, propriè & verè sacrificium pro peccatoribus non est, multò minus sacrificium pro mortuis.

L XIV.

Confugiunt Papistæ ad distinctionem sacrificii *cruenti* & *incruenti*: planè, ut aliàs fingunt duas manus apprehendendæ misericordiæ Dei, fidem & bona opera, cum tamen scriptura opera expressè excludat. Quid si ego fingerem infernum alium poenarum, alium beatitudinis? Nullum enim verum, reale & propitiatorium sacrificium scriptura agnoscit, nisi cruentum, juxta *Hebr. cap. 9. vers. 12. & sequq. definitum.*

L XV.

11. Magnū discrimē est inter hæreticos, & eximbecillitate errantes.

Apostolos, quorum ignorantia de regno, passione & resurrectione Christi proponitur, tamen eo in statu non licet referre inter filios tenebrarum seu damnationis. Quamvis igitur hæreticis, qui vel unicum articulum, præsertim fundamentalem, malitiosè & pertinaciter oppugnant, merito salus denegetur: tamen temerarium foret, similiter de seductis, vel de aliis statuere, qui non ex malitia aut supina negligentia antiquos & publicos Majorum errores, in quibusdam articulis fidei sequuntur, alioqui quoad fundamentum sinceri, 1 Corinth. 3. vers. 13. Actor. 11. vers. 18. Tepidi autem & ambidextri suum habent judicium, Apocal. 3. vers. 1. Reg. 18. vers. 21. 2 Reg. 17. vers. 34. Hebr. 2. vers. 1. 3. Jerem. 48. vers. 10.

L XVI.

12. Conciliatio Evangelistarum circa historiã cæci.

Circa cæci mendici historiam, sine fidei jactura in medio relinquere potest, an de eodem, an verò de diversis miraculis narrent Evangelistæ, Lucas de cæco in aditu urbis Jericho, *Luc. 18.* Marcus de Bartimæo, in exitu ex eadem urbe, *Marc. 10. vers. 46.* Matthæus verò de duobus cæcis in exitu sanatis, *Matth. 20. vers. 29.*

L XVII.

Probabilior tamen calculo potissimorum interpretum, videtur

detur sententia Augustini, qui ita scribit, libro 2. de consensu Evangelistarum, quæst. 65. Procul dubio Bartimeus, ex aliqua magna felicitate defectus, nostrissima & famosissima miseria fuit, quod non solum caeui, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est, quod ipsum solum Marcus voluit commemorare, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam nota erat illius calamitas: Lucas vero, quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio caco intelligendus est par commemorare miraculum, & ejusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret Jericho: at isti (Matthæus & Marcus) cum egrederetur ab Hiericho. Sed nomen civitatis & facti similitudo putari suadet, semel esse factum: sed Evangelistas in hoc sibi ad versari, non sane persuades, nisi eis, qui proclivius credi volunt mentiri Evangelium, quam duo similia, similiterq. miracula fecisse Jesum. (vide Hunn. in Matth. Pelargi Quæst. pag. 217. Dieterici Analysin, & alios: Costerum etiam, Conc. pag. 636. part. 2.)

LXVIII.

Iste mendicus cultu adorationis à Filio David, vero homine & Mariæ filio, tam luculentam gratiam piæ & feliciter impetrans, revocat nobis in mentem, Can. 8. Concilii Ephesini: Si quis audeat dicere, assumptum hominem coadorandum Deo verbo, & conglorificandum & conuincendum Deum, tanquam alterum cum altero (nam Co x syllaba super adjecta hæc cogit intelligi) ac non potius UN A supplicatione veneratur Immanuel, UN A ei glorificationem dependens, juxta quod Verbum caro factum est, Anathema sit.

LXIX.

Idem cæcus ad portam Jerichunticam mendicando stipem colligens prodit & confundit a cæcis Judæorum illius temporis, qui contra legem divinam, Deut. 15. egenos, & inter illos etiam maxime miserabiles, quales cæci sunt, ita deseruerant, ut mendicando panem quotidianum conquirere coacti sint.

LXX.

Quod in aliis turpe est, etiam Christiani sibi irreprehensibile ne ducant. Leges quidem Judaicæ propter diversitatem locorum, temporum, & aliarum circumstantiarum, potissimum propter abrogatam Politiam Veteris Testamenti, nos non obligant: In genere tamen Christianæ Ecclesiæ hoc incumbit, ut fidelem curam agat, quò omnia benè, laudabiliter & salutari ordine fiant.

13.
Christus quæ
HOMO ad-
orandus,

14.
Quomodo
tractandi e-
geni & men-
dici?

LXXI.

Is non est, si liberè & promiscuè libertas mendicandi concedatur quibusvis egenis. Quia sic¹ quò quis est impudencior, & minus notus, eò facilius extorquet eleemosynam.² Et sic multoties præcipitur bolus vere dignis eleemosynâ, qui in egestate & miseria relinquuntur: quando pluribus liberalitas non sufficit.³ Ambiguus & dubius redditur beneficium, cui de vita, moribus, & conditione mendicanti non constat.⁴ Interim promiscua & ignota multitudo suscipit in egenorum classem & titulum tales, qui non ex visitatione paterna, sed ex propria malitia, per ignaviam & alia scelerata vel recidunt in duram egestatem, vel eam sponte eligunt: quia facilius est verbis rogare panem, quam rastro & sarculo illum, per sudores & labores parare.

LXXII.

Rectius igitur quælibet Ecclesia, seu communitas particularis, suorum egenorum curam sola in se reciperet, interclusâ his omni ad alios evagatione, absque consensu & testimonio. Si haberent, in quibus absque errore beneficium suam liberalitatem cum fructu exercerent; sic intercliperetur Stollionibus & aliis vagabundis personis occasio ignavi oculi, & innumerabiliuñ deceptorum: Si eferia animadversione omnes sani, integris membris & valetudine gaudentes, ad legitimos labores assueferi, simulque res sumptuaria, quæ plurimos ad mendicitatem redigit, strictius observari possent: atque nihilominus in defectu propriarum virium vicinæ civitates & pagi in subsidium & munificentia adscisci & exorari valerent, exemplo, 2. Corinth. 8. & 9.

LXXIII.

Interea dum caremus hujusmodi constitutionibus & ordinationibus, ad abusus & errores excludendos necessarium, quando heremus, incerti, de dignitate vel indignitate egeni, aut de aliis circumstantiis, Syrac. 21. Satius est deviatione, seu excessu quodam ad liberalitatem, quàm ad nimis rigidam & sollicitam tenacitatem deflectere, hoc est, melius est decem indignis pro virili dare, quàm unicum dignum in sua calamitate & suspiriis deserere.

Refutatio quorundam corruptelarum.

LXXIV.

Restat nunc tertia præsentis considerationis pars, directa adversus

fus erroneas hujus Evangelii accommodaciones, quarum nonnullas deinceps ex scriptis Adversariorum annotabimus & diluemus.

LXXV.

Quia CHRISTUS assumptis suis discipulis duodecim, mysterium suæ passionis exposuit, inde elicit Bartseius, quod DEUS revelet mysteria sua, non nisi mediis Apostolorum & Pastorum Ecclesia, Tom. 1. pagina 610.

LXXVI.

De hoc postulato, quoad Pastores (Pastores Catholicos, in sensu Pontificio, ut ab illis, etiam posthabito verbo Laici unice pendant) hæctenus aliquoties dictum est: nunc ut plura afferantur, vel semel dicta repetantur, operæ precium non est, quia vanitas consequentiæ cuivis patet.

LXXVII.

Hoc tantum dilucidandi status causa dicimus: Si quæstio instituat in collatione ordinariæ & extraordinariæ, mediata & immediata patefactionis Dei, facile conceditur, non nisi mediate, per Apostolos in Novo Testamento, ut in Veteri per Prophetas, Deum nobiscum de salute nostra agere. Quando verò medium Apostolorum opponitur verbo scripto, aut communes Pastores sequentium seculorum eodem cum Apostolis loco habentur, non possumus non contradicere. Quia medium Apostolorum est ipsa scriptura, ab ipsis in literas relatâ: Pastores verò suam doctrinam non immediate à CHRISTO, ut Apostoli, *Galat. vers. 1.* sed ex verbo Apostolorum haurire, & ad suos auditores derivare debent, *1. Timoth. cap. 4. vers. 13.* *2. Timoth. 3. vers. 15.*

LXXVIII.

Verbis Christi, qui pronunciavit, in Filio hominis implenda esse vaticinia Prophetarum, Filium hominis traditum in gentibus &c. utramque illam sententiam supra oppugnatam, audent nonnulli affricare: Calvinianorum inquam, qui solam humanitatem passam esse dicunt; Et Jesuitarum in vestigiis Stancari disputantium, Christum tantum, quâ hominem, mediationis opera perfecisse.

LXXIX.

Sed respondendum, Filium hominis in concreto totam personam *ἡνωμενος* notare, non solam humanitatē seorsim consideratam, quæ & nunquā seorsim homo fuit, sed in unitate cum *λογος* ipsissimus Filius Dei est. Ipsa persona passa est, cumq; omnia opera officii Mediationis

15.

Quomodo
Deus per
pastores
mysteria
salutis
patefaciat?

16.

Christus
secundum
naturam
mediator
fuit.

tionis sint *quodammodo*, utragque naturam illis expendendum egit, quod summum erat, juxta Leonis regulam: Et ipse Filius Dei passus est, non proprietate naturæ, sed unitate personæ, ut Vigilus loquitur.

LXXX.

17.
De reliquiis
linei scli, &
flagelli coria-
ci.

In iis, quæ Costerus refert, Conc. part. 2. pag. 628. De lineo velo, quo aliquo modo Veronica veneranda mulier immundiciem sputi extorsit, dum crucem bajulans Dominus ad montem Calvarie exiret: quod illud adhuc Romæ, in S. Petro asservetur, & cum summa devotione visatur. Item pag. 627. De parte flagri, cum omni veneratione, propè Dillingam in monasterio Narissim, asservati, nodo videlicet coriaceo, aeneis filis grossioribus intexto, tribus cupreis pinnis aculeato, &c. desideramus primò sufficientem historicæ fidei certitudinem. Deinde, & potissimum repudiamus superstitionem non levem, sed trabalem, quæ homines, indignum in modum, eò abripit, ut etiam instrumenta malitiæ veneratione pietatis & devotionis dignentur.

LXXXI.

Quomodo enim flagrum militis, quo sanctissimum corpus CHRISTI sceleratissimis modis lancinatum est, venerationis cultum promeruit? Num ex contactu sanctissimi corporis, an quia adhuc sanguine Christi cruentatum est? Si hoc, quomodo fidem facies? Si illud, cur non improbi milites etiam & irrisores veneratione digni prædicantur, qui non sine contactu Salvatorem ligaverunt, percusserunt, hinc inde traxerunt? Præcipue autè, cur veneratione dignum censetur linteam immundicie sputi flagitiosissimorum nebulonum semel madefactum? aut si sputum militum desit esse sordidum & impurum, postquam sanctissimæ faciei Christi inhæsit, cur ipsemet Jesuita IMMUNDICIEM sputi appellat, quam Veronica abstergit? Nonne pari ratione glebæ Simeï in Regem Davidem conjectæ, 2. Samuel. 16. ab illo regiam dignitatem potuissent contrahere, qua sputum militum venerationem devotam, ex ore Christi, etiam detersum?

LXXXII.

18.
An Christus
penas infer-
nales & quo-
modo susti-
nerit?

Bellarminus lib. 4. de anima Christi, cap. 8. ita scribit: Dominus, Luc. 18. prædicat Apostolis passionem suam, & nominat flagella, sputa, crucem, mortem, & subiungit continuo: Et tertiâ die resurget, ubi quæ foraliquit dolores damnatorum & cruciatus gehennæ? Hoc nimirum vult: Ergo falsò docetur in Ecclesiis Evangelicorum, Christum non tantum corpore sustinuisse plagas & vulnera, cum gravissimis doloribus conjuncta, sed etiam in anima acerbissimos cruciatus, poenis infernalibus

fimi-

similes, & omnino tales, quales à justa ira Dei peccatori non reconciliato decerni possunt.

LXXXIII.

Sed responderetur, procedere argumentum ex puris particularibus: Eadem consequentia liceret inferre, Ergò Christus non est crucifixus. Etiam si enim hoc in loco, tanquam in brevi epitome, non omnes species & gradus passionum nominatim exprimantur: negari tamen non debent, partim, quia plures includunt aut presupponunt, partim quia alibi expressè enarrantur. Sic laboris animæ, *Est. 53. v. 11.* angustiae & tristitiae, *Matth. 26. vers. 38. Luc. 12. v. 50. Job. 12. v. 27.* derelictionis, *Psal. 22. v. 1.* expressa fit mentio. Et supra dictum est, acerbiter illusionum & conviciorum, de quibus hic Christus prædicit, omnino ad ipsam animam Salvatoris honoratissimi penetrasse (vide Winckelm. Tom. 1. Gies. disp. 8. thes. 3. & seqq.).

LXXXIV.

De ignorantia discipulorum, quam trinâ repetitione, in *yl. 34.* gravius perstringi, quàm ullibialias, manifestum est, ita commentatur Bartolæus: *Occasio differendi de scripturarum difficultate atq; obscuritate, quatenus ex ipsa mysteriorum profunditate oritur, etiam ubi nulla in verbis perplexitas. Unde illud consequens est, periculosissimum esse, vulgus Christianum promiscuè in profundum disputationum de scripturis sacris, omninq; fide Christiana immittere, iudicem q; omnis controversie ex scripturis constituere. Id quod seditissime tamen ministri nostri seculi ausi fuerunt.* (Tom. 1. Conc. controv. pag. 614.)

LXXXV.

Resp. Jesuita statum controversiæ multis modis pervertit: quo ostenso argumentum corruet, ceu secundum plures interrogationes aberrans. Quando enim nos scripturam in seculis perspicuam esse contendimus, loquimur: ¹ non de rerum facilitate, sed de verborum claritate, ² non de singulis sententiis (inter quas nonnullas obscuras esse & difficiles non diffitemur) sed de rota scriptura, secundum antecedentia & consequentia diligenter collata, ³ non de argutis disputationibus, aut quaestionibus, sed de lectione textus, & de articulis fidei ad salutis notitiam pertinentibus, ⁴ non promiscuum vulgus, sed quemlibet sanè, citra personarum & ordinum respectum, attentum autem, diligentem & pium humilemq; lectorem admittimus, ⁵ Et iudicium controversiarum non homini, sed soli scripturae, seu lectori scripturæ

19.
De obscuritate S. scripturae, &c.
17. Dec. 5. d. 5.
p. 80. 14. d. 9.
D. 1. p. 27.

fideliter urenti, & quatenus per scripturam loquitur, deserimus, quæ omnia Bartsiana cavillatio confundit.

LXXXVI.

21.
An mendicitas peculiariter Deo placeat?
ad. 1. p. 1. 1. 1.
p. 1. 1. 1.

Eccius in disputatione Ingolstadiensis de votis, thesi 98. 99. asserit, eos Spiritui sancto repugnare, qui mendicitatem publicam inhihent videlicet, quia CHRISTUS erga publicum mendicantem tam benevolentem sese præbuit.

LXXXVII.

Resp. Risu potius, quàm magno solvendi conatu excipiendum videtur argumentum, ¹ Siccine Deus olim Spiritui sancto repugnavit, quando mendicitatem publicam prohibuit in populo suo Israelitico, *Deut. 15. vers. 4.* ² Quæ communio est mendicitati hujus cæci (qui nec aliunde habuit, quo viveret, nec honestis laboribus, ob visus privationem, victum comparare potuit) cum electitia & hypocritica Romanensium mendicitate? Hujus nullum vestigium extat in S. scriptura: reliquis mendicis Deus ipse edictis & promissionibus suis perquam sollicitè patrociniū & subsidium procuravit, *Esa. 58. Matth. 25. Syr. 4. Luc. 6.* Hæc tantum quærit, unde pascatur & vestiatur: illa cœlestem gloriam perfectissimè mereri audet, ³ Probabile est, cæcum hunc, visu per gratiam Christi recepto, valedixisse mendicitati, ut qui statim secutus est Christum, ⁴ In morbis & aliis calamitatibus divinitus immisissis polliceri nobis possumus & debemus commiserationem & auxilium Dei: per accersita autem mala tentamus illum, & ad iram justam provocamus: idem fit in paupertate electitia.

LXXXVIII.

21.
De comparatione Ecclesiasticorum cum hac turba præcedente.

Magis adhuc ridicula est allegoria Costeri: *Sicut cæcus prævenit turbam quæ sivit: Sic Laici quæram Ecclesiasticos, qui in processibus venerabile sacramentum præcedunt, ceu nobiliores in processione Ecclesiæ ad cœlum.* (part. 2. pag. 641.)

LXXXIX.

Sic nempe commodum visum est, Ecclesiasticos turbæ comparare, dum præcedere liceat: si secuta fuisset turba: nulla analogia inter turbam & Ecclesiasticos fuisset! ² Verendum autem, ne multi hujusmodi præcessores & nobiliores in processione Ecclesiæ ad cœlum, sint in censu eorum, de quibus Christus, *primicerium novissimi, Matt. 20. Matth. 7.* ³ Et sanè videtur prophetare Costerus inscius, ut Caiphas: sicut enim turba hæc præcedens id egit, ut avertere cæcum à Christo:

ita etiam Ecclesiastici in Papatu à Christo abducunt omnes, qui serio salutem in Christo Jesu, & puritatem Evangelicæ doctrinæ sitiunt, cæci cæcorum duces. † ita licet quærere Ecclesiasticos & sinceros verbi ministros, ut tamen principaliter quæras Deum & verbum ejus, hoc est, nec pastorem, nec Angelum de cælo audias, nisi ex scriptura respondeat, Galat. 1. Rom. 12. 1. Petr. 4. Esa. 8. 2. Petr. 1. Jobans. 39.

XC.

Inprimis pro viribus & cooperatione proprii arbitrii strenue pugnant Papistæ per verba Christi: Quid vis, ut faciam tibi? Stapletonus in Cathol. part. 1. pag. 85. *Christus non contentus oratione & clamore cæci, rogat diserte, quid tibi vis faciam? ut doceret, sua beneficia gratis, non nisi volentibus & COOPERANTIBUS dari.* Item, pag. 86. *Quoties Deus adiutor noster vocatur, toties nos Deo ad salutem nostram cooperari, scriptura docet.* Tandem, pagina 88. addit: *Qui negant cooperationem nostram in bonis operibus, tollunt articulum ex Symbolo quo judicabit Deus vivos & mortuos.*

22.

An vires hominis ad salutem ejus cooperentur?

XCI.

Costeri adhuc crassior dolatura est: *Cur rogat cæcum? ut doceat, quod orando ipsius dona aliquo modo promereamur, ac ad ea nos præparemus.* Item: *quia neminem inuitum ac involuntarium subvat.* Demonstrat hic luculenter libertatem arbitrii, qua Dei dona recipiant, ac Dei donis cooperentur: *Deus per se solus salutem nostram non operatur, sed nobis collaborandum est,* (part. 2. Conc. pag. 660.)

XCII.

Respond. Committitur fallacia secundum non causam, ut causam: Vera causa interrogationis fuit, quia Christus & fidem cæci, & seriam petitionis intentionem voluit publicè innotescere, cum generalis compellatio, miserere mei, à vulgo etiam de Eleemosynæ erogatione potuisset accipi. Et ut de multis aliis causis pia mens cogitet, nemo tamen sana mente, etiam secundum ductum rationis, recte præsumserit, à petitione de cooperatione ad effectum: quomodo enim petitio beneficii ulla ratione ad beneficium cooperari potest? Si rogando aliquo modo promeremur beneficia, quò quis subditorum pertinaciùs instat, orando apud Principem, eò magis Princeps obstringetur ad annuendum, propter meritum, si quidem Deum (ut debet) imitari velit.

XCIII.

Porro si Deus beneficia gratia sua non nisi volentibus & cooperantibus

rantibus exhibet, ostendendum est, quomodo Saulus vel voluerit, vel cooperatus sit ad illam gratiam, quæ ipsi, adversus CHRISTUM & Evangelium furenti, cœlitus obtigit? *Actor. 9.* Quomodo vel voluit, vel cooperatus est Jacob, cum nondum esset natus, *Romanor. 9?* Quomodo nos voluimus aut cooperati sumus nondum conditi, ut eligeremur ante condita secula, per gratiam, per quam & salvamur, *Ephes. cap. 1?*

XCIV.

Interim non negligenda videtur differentia inter nolentes & non volentes, qua differentia etiam ambiguitas inuitorum & involuntariorum castigari potest: cum per nolentes scienter aut pertinaciter media conferendæ gratiæ divinæ negligentes aut repudiantes eam: per hos autem, nempe non volentes, vel naturaliter corrupti, vel per ignorantiam peccantes, possint intelligi: utrosque pari affectu Deus nequaquam dignatur, neque ratione justitiæ, & ordinis à se revelati, dignari potest.

XCV.

In vocabulo ADJUTORIS admodum præposterè urgent compositionem vocis AD & JUTORIS cum certum sit, stylo Biblico, & per indolem aliarum linguarum, adjutoris, auxiliatoris, liberatoris voces esse synonymas: ut DEUS tantò illustrius sit noster adjutor, quantò magis, rebus omnibus desperatis, ad ipsum omnis facultas iuvandi unice recidit.

XCVI.

Nimis verò audax est decisio Stapletoni, qui iudicat, articulum illum, *judicabit CHRISTUS vivos & mortuos*, tolli à Symbolo Apostolico, nisi synergia & cooperatio nostri arbitrii cum adjutorio divino concurrat. Non enim minus justè punitur is, qui merè gratuitam oblationem negligenter aut pertinaciter repudiavit, quam ille qui idè expers beneficii mansit, quia in cooperatione negligenter fuit.

XCVII.

Eadem inculcant Papistæ circa augustissimam sententiam: *Fides tua te salvum fecit.* Costerus part. 2. Conc. pag. 604. *Christus virtutem innui fidei, quia sanitatem hanc aliquo modo cæcus merebatur. Quamvis enim per potentiam benignitatemq; suam opituletur nobis Dominus, collaborandum interim est nobis, ut sanemur.*

XCVIII.

Responsio ex modo dictis patet: ideo ad cætera pergemus. Stapletonus in Cathol. Non dixit Christus: Fides te salvum fecit, sed fides Tua, id est, qualem tu jura ostendisti orando, inclamando & perseverando in oratione: fuerunt ergo hic multa opera bona præter fidem (part. 1. p. 88.) Hæc pro fide informata dicuntur, quod fides non nisi bonis operibus informata & per bona opera hominem coram Deo acceptum reddat.

XCIX.

Sed lubrica est consequentia, quia mutatur genus prædicationis, de quali fide, & de fide quatenus acceptum reddat, quæ acceptiones non eodem recidunt. Si de fide vera quæritur, qualis sit, respondet ipse Paulus, Est realis, quæ per charitatem est efficax, Galat. 5. & Jacobus: Talis, quæ se per fructus operum ostendit: atq; talem fidem cæci fuisse, nempe bonis fructibus conspicuam, nemo diffitetur.

C.

Quando autem de fide tali quæritur, QUATENUS justificet, aut Deo hominem acceptum reddat. Scriptura opera expressè excludit, fidemque ad solum Christum & misericordiam Dei gratuitam revocat, Roman. 3. & 4. Johan. 3.

CI.

Et falsum est, fidem dici meam & tuam, propter bona opera, sed propter unius cujusque propriam fiduciam in gratiam Dei, qua quilibet, ut hoc loco cæcus, pro sua persona confidit, Deum sibi proprium & beneficium fore.

CII.

Bartscius illud elicit: Ergo gloria Christi nihil deedit, etiam si nostris operibus & fidei salus attribuat, quia Christus ipse attribuit, Tom. 1. paginâ 624.

CIII.

Respond. Duo cum faciunt idem, non est idem. ¹ Christus non operibus, sed fidei adscribit salvationem. ² Quando Christus fidei tribuit salutem, omnino nihil deedit gloriæ Dei, ideoque quando nos ex ore Christi docemus, fidem SOLAM justificare & salvare, tranquillores deberent esse adversarii: Fidei enim ita tribuitur salus, ut omnis nostra dignitas & cooperatio excludatur, beneficium autem soli gratiæ Dei acceptum feratur, quod fides, ceu manus mendica apprehendit. Quomodo autem Papistæ fidei, ut operi, non autem fidei soli, sed aliis operibus conjunctis, ceu meritorius & talibus, in quibus fiducia

23.

An fides,
quæ bonis o-
perib. inform-
mat a. salvet

2. de q. d. p. 15

24.

An gloria
Christi de-
rogetur, per
justitiam o-
perum?

mercedis, ex condigno & jure præstandæ, collocari queat, salutem assignant, omnino gloriæ divinæ decedit, quæ graviter edixit, *ne quis glorietur.*

CIV.

25.
Quomodo
fides salvet?

In cæteris, quæ Bartschius admodum prolixè disserit de ratione, qua fides salvet, videlicet *tantum per modum dispositionis, quia proximum salutis hominem constituit*, Tom. 1. pag. 545. 547. *Quia justitiæ Christianæ initium est; quia primus ad Christum accedendi gradus; quia viam salutis totam pandit*, pagina 548. *quia sementivam vim totius salutis continet, sicut embryo respectu secuturi foetus*, pag. 552. *quia Christum nobis disponit, ut salutem in nobis perficiat*, pag. 554. In his, inquam, omnibus principium petitur. Nam fides assequitur, Et quicumque verè crediderit, non viam aut dispositionem ad salutem habet, sed salutem ipsam: certò enim salvabitur, *Johann. 3. & 6. Marci 16.* Quemadmodum etiam fides cæco, non ex semente messem eminus ostendit, sed sanitatem ipsam acquisivit.

DISPUTATIO VIII.

DOMINICA
INVOCAVIT,

Matthæi 4. à vers. 1. usque ad 12. exclusive.

I.



Quadragesimæ nomen, peculiari apud Pontificios significatu, principaliter tempus Quadragesimalis jejunii & carnisprivii notat: cui non tantum initium in hac ipsa Dominica statunt, sed etiam ex Dominicali Evangelio, ab exemplo jejunii Christi, præsidium primarium & singularem majestatem prætexunt: Unde quid de Pontificia jejuniorum ratione, præsertim circa tempus quadragesimale, sentiendum sit, antequam ad alia progrediamur, dispiciendum.

*Al. x. tempore quadragesimæ
male in caelo pœnit, ubi
frem vident ab eadem
doctis Neg. d' Phaf. ad
Steyn. Phil. d. 17. 1. 4. 13.
p. 145.*

*De jejunio
in genere.*

II.

Idq; tantò majori ex necessitate, quò pateat innocentia nostrarum Ecclesiarum, B. Lutheri & ministrorum Evangelii, quos omnes Papistæ traducunt, quasi omnem veri jejunii pietatem eliminârint, atque helvationibus bipatentes fores aperuerint, spiritu Aërii & similitum hæreticorum agitati (Sixtus Sartorius, in Motivis 2. m. §. 26. antith. 14. Bellarm. lib. 4. de notis Ecclesiæ c. 9.

III.

Protestamur enim, nos jejunia, scripturarum testimoniis & exemplis proposita, illisq; similia, debita cum reverentia amplexari, jejunium scilicet perpetuæ sobrietatis, 1 Petr. 5. vers. 3. 1 Thess. 5. vers. 6. jejunium spirituale, in abstinentia à peccatis positum, Esa. 58. vers. 6. jejunium luctus, 2 Samuel 3. jejunia alia vel profus arbitraria, vel secundum legitimas ordinationes superiorum suscepta, veram animi humiliationem, cum corporis castigatione conjunctam, cõplectentia Psalmi 35. Joel. 2. Luc. 2.

Qualia jejunia probentur?

Jejunia Agathon. sup. Joel. 2. can. c. 9. 10. 11.

IV.

Amplexamur autem eadem, non nisi intra veros fines, extra omnem superstitionem, hypocrisim, similemque improbitatem positos, ac in ipsis scripturarum testimoniis & exemplis delineatos: quatenus nimirum, vel corpora coërcent, quò animus, à pravis concupiscentiis minùs impeditus, tantò rectius vacare Christianis officiis queat: 1 Petr. 5. 1 Cor. 9. Vel seræ pœnitentiæ & precum ardori subserviunt, Joel. 2. Act. 12. vel humiliationem contritam, in luctu & sub calamitatibus, declarant, 2 Sam. 12. Matt. 9. vel deniq; publicos Ecclesiæ congressus excitatores efficere possunt, Joel. 1. 2. Reg. 21.

Fines jejuni-
orum.

V.

Nisi ad hujusmodi finem jejunium, hoc est, abstinentia voluntaria ab omni cibo, alioque lautiori cultu corporis, instituat ac referatur, in se manet externa & perniciosa, ad pietatem nihil conferens, 1 Timoth. 4. vers. 7. facile autem in vitium & abominationem coram Deo, per coincidentes fines improbos, degenerans, Luc. 18. Matt. 6. ut mox de jejuniis Pontificiis patebit.

VI.

Hæc enim quamvis sub specie magnæ pietatis & sub nomine jejuniorum Biblicorum sese ingerant, sibi que tantum non potiore partem devotæ humiliationis coram Deo vendicant; tamen nec vera jejunia

Qualia sunt
jejunia Papi-
starum?

no e veni

jejunia sunt ratione actus, nec ad fines directa, quos divina benevolentia probare queat.

VII.

Ratione actum non sunt abstinentia ab omni cibo ac potu, sed tantum electitia permutatio cibi: Quia à carnis, ovorum & lacticiniorum esu tantum abstinere, interim piscibus omnis generis, condimentis lautissimis, leguminibus & aliis cibis inter pocula vini, pro lubitu in quantitate indeterminata, vescerent.

VIII.

Fines verò, ad quos potissimum jejunare jubentur Catholici, secundum sanctionem Papalem, sunt cultus Dei, satisfactio pro peccatis & meritum, ut passim apud Pontificios scriptores, præsertim apud Bellarminum, De bonis operibus in particulari, libro 2. cap. 11. urgentur.

IX.

Cum autem satisfactio & meritum ad solius Christi officium pertineat, aliena verò sit ab omnibus operibus & studiis hominum etiam renatorum propter magnam imperfectionem, adeoque ipsam totius naturæ ac humanarum virium impuritatem: Ideò, si assuetur ulli operi hominis Christiani, etiam ex se bono, & secundum leges Decalogi instituto, abominabile illud redditur: multo igitur potius abominabile erit jejunium, secundum ordinationem Antichristi factum, si ei vis meritoria & satisfactoria pro peccatis attribuitur.

X.

Similiter, quia nec vera jejunia, ex sincera libertate suscepta rationem cultus divini per se obtinent, sed tantum corporali quodam exercitio virtutibus Christianis, in quibus cultus consistit, subserviunt: multo minus tam augusta appellatio competit electitio, hypocritico & ridiculo jejunio, per tyrannidem Papæ, in fraudem libertatis conscientiarum, imposito.

libertas conscientiarum prædicta
per tyrannidem Papæ in fraudem libertatis conscientiarum, imposito.

XI.

Omnino enim (ut rem ad pauca conferamus) hoc jejunium sive hebdomadarium, sive anniversarium, sive religione vori, ad sensum Catholicorum, susceptum, est hypocriticum, est ridiculum, est Simoniacum, est tyrannicum, contra libertatem Christianam, est blasphemè superstitiosum contra meritum CHRISTI, est doctrina dæmoniorum.

XII.

Hypocriticum est, quia simulat abstinentiam & inedia, inter ipsa prandia & coenas, ejusmodi cibis (apud opulentiores) refertas, quas multi, quibus scilicet cum quotidiana egestate strenuè conflictandum, pro convivii suis lautissimis optarent.

XIII.

Quod si vera abstinentia à cibo requiritur (jejunium rigidius tunc vocatur) *ridiculum* tamen illud jejunium evadit ideò, quia tot exceptionibus exindultu Disputatorum Romanensium gaudet, per quas tandem facile omnes effugere queant. Excipiuntur enim *impotentes, hoc est, pueri, qui vigesimum annum nondum attigerunt, & sexagenarii senes, pauperes & mendici, scemina gravida, lactantes, infirmi & valetudinarii.* Excipiuntur *Doctores, Concionatores, Catechista, confessorii, Infirmorum visitatores & omnes, quos à meliori opere, videlicet misericordis jejunium impediret.* Excipiuntur denique omnes, quibus ad parandum vi-ctum, & conservandam famam propulsandamq; insaniam grave aliquod corporalis exercitii opus incumbit, ut agricola, opifices, fabri ferrarii, lignorum sectores, ferrarii, lignarii, cerevisiarii, vascularii, murarii, iter facientes, praesertim pedes. (Vide Costerum super hoc Evangelium, Conc. part. 3. p. 2. 5. 2. 6.) Quis ergò tandem abstinentia à cibis jejunabit, nisi homo *ridiculus & simplex*, qui hujusmodi privilegia ignorat?

XIV.

Simoniacum est, quia subservit avario Papali, ad lucrandum optimos redditus, quos redimit dispensationibus seu potius nundinationibus suis, conscientias scilicet à reatu jejunii non observati pro pecunia absolvendo, vel etiam libertatem jejunii, absque reatu peccati negligendi, indulgendo: ut nihil dicam, quantum leges juniorum & prohibitiones ciborum Medicis & rabulis forensibus (in impetranda scilicet dispensatione) commodent, quomodo etiam Monachi, sub hypocrisi juniorum, facultatibus divitum, non modò insidiati, sed etiam easdem deprædati fuerint.

XV.

Tyrannicum est, quia violenter exturbat Christianam Ecclesiam illa libertate, in quam Christus eam asseruit, *Galat. 5. vers. 2.* abrogato defectu ciborum, cum reliquis elementis Veteris Testamenti, *Coloss. 2. v. 16.* & concessis omnibus sine discrimine, quæ quidem ad videndum prostant, *1. Cor. 8. & 10. Rom. 14. Matth. 15.*

XVI.

Unde doctrina demoniorum audit (eorum propria, qui cauteria à conscientia laborant) prohibitio ciborum certorum, à Deo creatorum, ut cum gratiarum actione sumantur, *1 Timoth. 4. vers. 2.* Quamvis enim Papistæ non amplius sensu Tatiano, nec perpetuò, cibos prohibeant (à quo tamen quàm longè absint, vel ex formulis consecrationum, & ex regula Carthusianorum, alibi demonstratur) unde dicto illo Apostolico feriri nolunt: tamen revera alia ratione, & cum aliis pretextibus prohibent, planè talibus, qui contra veritatem de usu ciborum, illam hypocrisis speciosam quæ sanctitatem involvunt, quam Paulus ibi generaliter oppugnat.

XVII.

Instat quidem Stapleton. in Cathol. pag. 98. part. 1. *Si omnis prohibitio cibi est doctrina demoniorum, etiam ipsi Apostoli fecerunt hujus doctrinæ, qui prohibuerunt sanguinem & suffocatum, Actor. 15. Posterum est absurdum, Ergo & prius.*

XVIII.

Sed respondetur. Ex sensu Apostoli omnis prohibitio cibi, quasi conscientiam polluentis, est doctrina demoniorum. Extra hanc prohibitionem, liberæ sunt prohibitiones, ex causis medicis, æconomicis aut similiter externis: Extra eandem prohibitionem sunt etiam sanctio Apostolica, *Actor. 15.* quæ circa res adiaphoras, *2 Corinb. 8.* tantum charitatis necessitatem imposuit, propter infirmos, in casu scandali. Sed sub prohibitionem à Paulo damnata, *1 Tim. 4.* omnino continetur, non tantum opinio Tatianorum & similium fanaticorum, verumetiam rigor Papalis, de esu carnis, certis temporibus propter conscientiam, vitando.

XIX.

Blaspheme superstitiosum esse Papisticum jejunium, antea dictum est, quia (quod Spiritus sanctus in sacris literis omnibus operibus nostris, etiam in suo genere sanctissimis, deroget) meritum & satisfactio illi attribuitur. Ad hæc in sanctorum quoque demortuorum gratiam & venerationem dirigitur: atque etiam pro defunctis suscipitur (Bellarm. de purgat. lib. 1. cap. 3.)

XX.

Et quamvis Bellarminus protestetur, *Ecclesia Romane injuriam fieri, si accusetur, jejunis per se, & ex opere operato cultum, satisfactionem & meritum adscribi:* (quæ protestatio contraria factò facillè evincitur)

tamen

tamen satis blasphemè scribit, *illa ex opere OPERANTIS* hujusmodi dignitatem habere. *Jejunium, inquit, ut sit meritorium, vel satisfactorium, atque adeo cultus DEI, OMNINO pendet ex devotione & virtute jejunantis.*

XXI.

Nos autem didicimus, nullum opus quantumvis bonum, placere Deo, nedum placare Deum, aut mereri gratiam cœlestem, ex devotione & virtute operantis & facientis: sed placere propter Christum *1 Petr. 2. vers. 5.* Deo scilicet, propter hujus Filii sui perfectissimam satisfactionem & consummatissimum meritum, defectus & impuritates nostras tegente & condonante.

XXII.

Hæc omnia, cum ita comparata sint de jejniis Pontificiis in genere; præcipuè in Quadragesimali obvia sunt, secundum descriptiones ab ipsis hujusce præconibus editas.

XXIII.

Illud *ad imitationem Christi* (qui post susceptum baptismum 40 dies & noctes jejunavit in deserto, ante luctam cum tentatore Satana) institutum esse, unanimiter docent: non tamen propter exemplum tantum, sed propter ipsius Christi sanctionem, per Apostolorum non scriptam, sed oratenus atq; ipsa praxi factam traditionem (Bellar. De bonis operib. in partic. lib. 2. cap. 14.)

2.
De jejunio
Quadragesimali.

De exemplo
jejunii Christi.

XXIV.

Provocat hic Cardinalis ad Canones Apostolorum, ad testimonium Hieronymi & Leonis, & ad universalem totius Ecclesiæ Novi Testamenti observationem, quæ certum sit *tempore* traditionis ab ipsis Apostolis profectæ (ibid.)

XXV.

Nos autem exploratum habemus, Canones illos sanctis Apostolis falso tribui, & planè supposititios esse, ut quorum Lucas in Actis nullam mentionem fecit; quiq; alicubi cum doctrina Apostolorum, in scriptis Canonicis proposita, conciliari nequeunt; alicubi etiam tales res tractant, quæ ætate Apostolorum profus adhuc ignorabantur; ut taceam, nonnullos eorum inter ipsos Pontificios scriptores (juratos aliàs horum Canonum patronos) in dubium vocari (Luc. Osland. Epitom. Cent. 1. pag. 79.)

XXVI.

Testimonio Hieronymi & Leonis rectè opponitur autoritas

Augustini, qui Tom. 2. Epist. 86. ad Casulanum scribit: Ego in Evangelicis & Apostolicis literis toroq; instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video preceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, precepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.

XXVII.

Quod autem jactatur de universali & unanimi susceptione Ecclesie primitivæ, disploditur historica illa deductione apud Chemnitium in Exam. Trid. Conc. part. 4. Neque enim de tali jejunio Catholicorum statim verum est, quod de alio legitur: & satis valde reclamant ipsa scriptura superstitiosis jejunii, per dicta superius allegata.

XXVIII.

Certe Salvator noster in iis, quæ vel miraculose, ad declarandam suam majestatem, vel ex officio Mediatoris, quæ talis, fecit, non ad imitationem, sed ad admirationem & fidem propositus est. Jejunium autem illius singulariter singulari ductu Spiritus sancti institutum, & per 40. dies noctesque, etiam sine fame perpetuatum, prorsus miraculosum & inimitabile fuisse, quæ fronte quispiam negaverit? Certa etiam ratione ad officium sacerdotale pertinuit, quia jejunio suo nostram ingluviem similiaq; peccata Christus expiavit.

XXIX.

Unde Stapletonus admodum timidus est circa hoc præsidium, ab exemplo CHRISTI petitur: *Jejunat Ecclesia quadraginta diebus, ad exemplum CHRISTI, non quidem simpliciter, QUIA Christus fecit, sed quia ejus exemplo sic faciendum esse, & in hac parte ejus vestigia sequenda esse, Ecclesia Catholica Apostolorum tempore docuit.* (In Promtuar. Cathol.)

XXX.

Malè autem persuasus est, penes Ecclesie arbitrium stare, ut per sanctos Patres doceat, quid in Christo imitandum sit, quid non (Ibidem paginâ 90.) Nobis enim in omnibus credendis, vel ad cultum Dei faciendis, unica norma & doctrina est verbum scriptum, ad quod etiam ipsa ecclesia & Patres sancti omnes alligati sunt, *Esaiâ cap. 8. & Petr. 1. Ephef. 2. Luc. 16.*

XXXI.

Sic ergo Jesuita non solum nihil efficit ruinoso hoc principio, sed etiam istâ analyfi & quæ ad Ecclesie autoritatem, proprium suum argumentum consecutionis legitimæ robore enervat, quod ita præscripse-

feripferat: Si patiens & moriens pro genero humano exemplum dedit nobis, ut sequamur vestigia eius, 1 Petr. 2. quidam etiam jejunans? Si enim hoc argumentum, per se & intrinseca sua connexionione, recte concluderet, quid opus fuisset illa *ἡρωογῶσα*: non simpliciter, Quia Christus fecit, jejunat Ecclesia.

XXXII.

Non autem obligare exemplum jejunii Christi ad imitationem, etiam ex his liquidius constat, quia nullibi ad imitationem invitavit, ut aliàs fecit, Matth. 11. vers. 29. Job. 13. vers. 15. cap. 15. vers. 29. nec quotannis hoc jejunium repetivit, nec extra hunc miraculosum casum aliàs ex consuetudine jejunasse legitur, neque etiam discipulos suos ad jejunium assuefecit, imò, cum redarguerentur illi, propter omissionem jejunii, usque adeò nec increpavit discipulos, nec sanctionem aliquam, de observando deinceps jejunio, promulgavit, ut potius legales istas pædagogias Veteri panno compararet, novæ vesti nequam affluendo, Matth. 9. vers. 16.

XXXIII.

Costerus sanè contendit, quadragesimali jejunio impleri prædictionem Christi, Matth. 9. vers. 15. cum ablatu fuerit sponsus, tum jejunabunt discipuli in diebus illis, (Conc. part. 3. pagina 20.) Quod si esset, jejunium hoc anniversarium, non modò *ἡρωογῶσα* traditionem (in qua tamen Bellarminus cum aliis conquiescit) sed etiam *ἡρωογῶσα* institutionem haberet.

XXXIV.

Sed fallitur per æquivocationem: Christus enim loquitur, non de arbitrario, vel ordinario aliquo jejunio, sed de jejunio necessitatis, puta, famis, egestatis, penuriæ, & aliarum difficultatum, in quas Apostoli tandem inciderunt, 2 Corinth. 6. & omnes pii adhuc incidunt, quoties Christus sponsus aufertur, hoc est, quoties beneficia Dei auferuntur & irruit calamitas.

XXXV.

Neque enim (ut præsumit Costerus) Christus sponsus discipulis tantum adfuit, quandiu visibiliter in terra iis conversatus est: neque etiam per mortem crucis penitus, sed in quovis articulo gravis pressuræ & persecutionum ablatu (Brent. Comm. in Matth.

XXXVI.

καὶ ἡρωογῶσα igitur est omnis conatus, secundum exemplum Christi, jejunandi: Quam non satis excusat Stapletonus, iniquens: Sicut

Christum imitatur diligendo nos invicem, etsi non tam perfecte in vicem diligimus, sicut ipse dilexit nos: sic Christum imitemur per 40. dies aliquatenus jejunando, etsi non sic continuo jejunemus, ut fecit ille (vide etiam Stanisl. Grodic. Quadrip. Conc. 2.)

XXXVII.

Nam dilectionis imitatio habet expressum mandatum Christi, *Joh. 13.* quale hic prorsus deficit: præterea Christus non solis miraculosis & inimitabilibus actibus charitatem suam erga nos demonstravit, sed etiam talibus operibus misericordiae, quæ si non ex toto, tamen ex parte æmulatione nostra assequi valeamus.

XXXVIII.

An per quadragesimal. jejuniū Christo compatiatur?

Altera causa instituti jejunii quadragesimalis secundum Stapletonum est hæc, ut Christi Salvatoris passioni hoc tempore representata compatiatur, juxta *Roman. 8. vers. 17. 2. Corinth. 1. vers. 7.* Huc pertinet etiam insolens rhetoricatio Grodicii: *Heretici dicunt, Christum jejunasse, ne nos ad jejunandum obligemus: nos vero idcirco illum fecisse, ut eum imitemur. Vter nostrum melius? Nos propositionem, Ephes. 5. vers. 1. & Petri. 2. vers. 21. & assumptionem in scriptura habemus, Matthæi 4. quia jejuniū passio quedam est. At non possumus quadragesima dies? Respond: ex parte tamen: plane, ut nec possumus humilitatem & misericordiam imitari, & tamen debemus, Luc. cap. 6. vers. 36. Matth. 12. vers. 28.* (Conc. quadripart. 2.)

XXXIX.

Quasi verò passiones Christianis destinatae, per quas debent conformes fieri Christo, *Roman. 8.* sint aut esse debeant *ad imitandum*, propriæ electionis & acquisitionis! Veræ passiones crucis, propriæ ita dictæ, permittente & dispensante Deo, foris inferuntur à Diabolo & organis ejus: has qui in patientia victoriâ fidei superat, Christo compatitur, olim cum eodem glorificandus. Extra eas difficultates, quæ ita ferendæ obijciuntur, quilibet non minus sibi suoque corpori & fortunis parere debet, quàm proximo. Idecirco Assumptionem Grodicii negamus: quamvis etiam Major, in ipsa sede Apostolica, suam restrictionem annexam habeat.

XL.

Disciplinæ externæ exercitia, quibus impetus corruptæ carnis ipsimet coercemus, vel, secundum Paulum, *Gal. 5.* carnem cum concupiscentiis ejus crucifigimus (inter quæ jejunia vera suo loco & gradu facile admittimus) non sunt *immitandum* passiones illæ, quibus Christo

compatimur: nisi fortè cum circumcellionibus aut aliis *cuilibet* tam commoti cum Christo liceat, per violentiã nobis ipsis illatam, quã compati cum Christo, per afflictionem corpori accersitam.

XL I.

Reliquæ causæ hujus anniversarii jejunii, videlicet, ¹ ut hac ratione Deo dentur decimæ temporis, cum quadragesimales dies sint ferè decima pars anni, ² ut serviat exercitio pœnitentiæ solennioris, ³ meditationi passionis dominicæ, ⁴ præparationi ad festivitatem paschalem, ⁵ ad frequentiore[m] synaxin. (Staplet. Cathol. & Costerus dictis locis) hæc, inquam, causæ partim allegoricæ sunt, partim pædagogicæ: ideo quæ tum demum obtinent suam dignitatem, si rebus per se felicis & piis, licet liberè electis, accommodentur.

*vid. tit. ref. ubi dicitur
postul. dem. p. v. de p. d. p.*

XL II.

Quadragesimale autè carnisprivium (ut antiquitus vocabatur) secundum Pontificiam observationem, quã talem, intrinsicis abominationib. sceleris, supra dictum est: ideo quæ illud ad salutares fines atque usus nunquam, nisi per accidens, tendere potest.

XL III.

Prefertim cum inveterata praxis ferè longè crassior evaserit ipsa doctrinã: ut non rarò sceleratissima peccata leviora reputentur, esu carnis & lacticiniorum, die ordinarii jejunii, quemadmodum opilio ille latrocinia sua negligebat, anxie verò absolutionem à peccato, per asperginem aliquot guttarum lactis, in Quadragesima (ut putabat) contracto, petebat (apud Zwinger in Theatro, fol. 101.)

XL IV.

Rectè igitur fecit Lutherus, qui jejunium hujusmodi, ceu traditionem humanam, & gravissimis modis supersticiosam, masculè oppugnavit, To. 5. Jenens. germ. cujus vestigia nos adhuc sequimur.

XL V.

Idem quamvis verorum jejuniorum rationem dudum ex pomœriis Ecclesiæ profus eliminatam (utpote graviõrib. & potioribus articulis repurgandis occupatus, pertinaci etiã ultimi mundi ingluvie impeditus) in frequentem usum reducere haud potuerit: eandè tamen fideliter docuit: id quod sectatores ipsius, in nostris Ecclesiis, adhuc faciunt, optantes potiùs, ut exercitia talia scripturis cõsentientia, sine superstitionibus & abusibus, paulatim restituantur, quã cum plerophora sperantes; propter colluviem hominum ultimis temporib. dignè, hoc est, in extrema intemperantia victus & amictus viventem.

vera quæ

Unde

XLVI.

Unde nihil moramur calumnias aduersariorum, quorum egregium scilicet interpretem egit Stanislaus Grodicius: *Lepida hereticorum de exemplo Christi est argumentatio: Etenim, quotiescunque in vita Christi inveniunt, quod carni & sensui quoquomodo placere potest, id a videri accipiunt, laudant, inuolcant, suis ad imitandum proponunt, ipsiq; primi exemplo alius praeceunt suo: At vero si quid animalitati sua contrarium inibi esse animaduertent, vertunt stylum, & aut surda id aure praetereunt, vel negatiuas inde formant consequentias, nempe idcirco id Christum, vel fecisse, vel passum esse, ne nos ad tale quid praestandum obligati simus. Unde fit, ut nostri ministri, quotiescunque Christum Dominum Carnes comedisse, vinum bibisse, communis, cum aliis mensa usum fuisse (quod vehementer ipsis placet) vident, ita hac aggredduntur uniuersa, ut Jesum longo intervallo post se relinquunt. Ceterum, dum legunt eundem Jesum, nudis, vel penè nudis (non enim ei detrahebat calceos Magdalena in convivio) pedibus ambulasse, in eremo latuisse, in oratione pernoctasse, castitatem seruasse, jejunia denique, tum Iudeorum omnia obseruasse, tum alia addidisse (sicut in hodierno patet Evangelio) Aut veteris legis, quae jam exolevit, fuisse, aut ad se imbutum pertinere asseuerant. (Conc. quadrip. 2.)*

XLVII.

Sycophantam enim hic agere Grodicium, tot ab ipso confutata mendacia & figmenta palpabiliter arguunt: idcirco, postquam protestationem nostrarum Ecclesiarum sinceram & veram semel supra adduxi, singulis hic diluendis nolo immorari.

XLVIII.

Eadem tamen operâ rejectum volumus Diabolicum convivium Tympii, contra Megalandrum Lutherum, quo Satanæ Tentatori eum prorsus assimilat: *Lutherus, inquit, triplici tentatione aliquot myriades animarum Christo suffuratus est: Primò, promiscuum vulgus dementiarum licentia carnali, eò scilicet absolute à debita obedientia erga Ecclesiam, à confessione, à jejunio. Deinde, ipsa etiam contra vota cohiberatus, conjugium permittere, quamplurimi Monachi & moniales sese à pinnaculo templi, hoc est, à sancta sua vocatione & religioso statu, ad communem Laicorum vitam & conversionem praecipitarunt. Tertiò, è sublimi monte Principibus secularibus ostendit opimos Episcopatus, Prælaturas, Abbacias, Canonicias, &c. diuimodo quintum suum Evangelium recipere: Et sic omnes tres hierarchia vite humane tribus hisce rebus impletæ sunt. (In præfatione Dedicat. libri, Ceremoniarum.)*

Quid

XLIX.

Quid verò hic reponemus, præter expressam inficiationem? Lutherus enim tale quid nec fecit, neque facere cogitavit: sed potius, sub jugo Antichristiano, periculosissimè irretitos, omnes status, in Evangelicam libertatem afferuit, tam potenter & feliciter, ut universus orbis Christianus immortales gratias ei hoc nomine debeat.

L.

Hoc tamen in transitu ad alia specialiter annotandum est, Papi-
 stas ex hoc Christi jejuniis, & commoratione in deserto, non tantum
 jejuniis (de quibus hætenus dictum) sed etiam anachoreticæ Eremitarum
 austeritati, & carnicinæ corporis, patrocinium quaerere. Ubi
 noster Grodicius perquam temerè pronuncia vit? *Qui Eremitas vocant Fauos, Satyros. quid agunt aliud, quam quod ipsum, qui hodie solitariam ducit vitam, Jesum Filium Dei, per latera Eremitarum transverberent?* (In Conc. quadrip. 1.)

3.
 An Christus
 vitam Eremiticam suo
 exemplo docuerit?

LI.

Itæne verò Eremitam effecit tantillum tempus, qui alias cum frequenti populo publice ita conuersabatur, ut ipsum, præ Johanne Baptista, Judæi epulonem & heluonem vocarent, *Matth. ii. vers. 19?* Annè vel ex voto privato, vel ad imitationem aliorum, vel ex prescripto regula, desertum adiit Redemptor noster, quemadmodum Eremitæ propriè ita dicti faciunt? Matthæus perspicuè narrat, Christum singulari ductu spiritus in desertum venisse. Si commoratio qualiscunque in loco deserto facit Eremitam, ut Christus Eremita 40. dierum fuit, ita 4000. viros triduanos Eremitas fuisse oportuit, præsertim jejunos, & macie propemodum contabescentes, *Mar. 8.* Eremitis etiam adscribendi erunt exules Christiani, qui olim in gravissimis persecutionibus, ad vitam redimendam, latebras sylvarum & locorum desertorum antra subintrarunt: vel qui adhuc in tenebris carcerum panem doloris, tempore bene longo, edunt.

LII.

Summa huc redit: non valet accommodatio, nec subsistit antecedens, quod præsumit, Christum Eremitam fuisse: cum infinita sit dissimilitudo in exemplis. Christus à Spiritu sancto longæ alium ad finem in desertum est ductus, quam ut pallorem faciei indueret, vel similem existimè mundo (quem vocant) doceret: Nempe, ut tentaretur, luctaque sua adversus Satanam ñm majestatem suam

divinam assereret, tùm etiam omnibus tentatis solatio atque exemplo esset.

4.
An Christi
cor commo-
berit objecta
concupiscen-
tia?

LIII.
Circa hanc tentationem Satanae Christo objectam, considerandum est argumentum quorundam, in explicatione noni præcepti: *Concupiscentia, quatenus est motio cordis, injecta quidem animis nostris, sed plane non inhaerens, nec recepta, peccatum non est: quandoquidem etiam in ipso Christo videtur fuisse, quando fuit tentatus à Satana, Matt. 4.* (Keckerm. in System. Theolog. lib. 3. pag. 484.)

LIV.
Hic primò, à Christo secundum utramque naturam perfectissimè *avanzato*, non valet transitus ad hominem concupiscentia originali depravatam, à qua nec in regenerationis statu liber est. ² Deinde implicatur contradictio in adjecto: Si concupiscentia injecta animis, est motio cordis, certè etiam recepta & inhaerens est, minimum ad momentum temporis: si planè nec recepta est, nec inhaerens, utique neque motio cordis atque affectuum. ² Quod si non receptum, & non inhaerens pro velocissimè transitorio hic accipitur, tamen subjectivè inhaerentia istius concupiscentiae & motionis concedenda est: Concupiscentia autem à Satana objecta mala est, ideoque animum tandiu inficit, quandiu inhaeret. ⁴ In homine igitur originali peccato adhuc contaminato talis motio prava, etiam transitoria, atque strenuà luctà Spiritus statim iterum exturbata & damnata, *Galat. 5.* tamen peccatum est: peccatum, inquam, initialiter conceptum, *Jacob. 1.* & cum concupiscentia originali conspirans, seu potius ex eadem per oblatam occasionem suscitatum.

LV.
Consultius igitur negamus, motum esse cor Salvatoris per concupiscentiam tentatione Satanae objectam. Objecit quidem Tentator varia, eaque sceleratissima: nihil autem horum sanctissimum cor Christi, ferire potuit, præter naturalem sanctitatem, etiam armis scripturae undiquaque munitum.

5.
Qualis fuerit
accessus
Tentatoris?

LVI.
Neque opus est has tentationes interpretari de suggestionibus internis, qualibus sese Tentator infernalis apud homines (fortè de Satana vel præsentia ejus tùm nihil cogitantes) per agitationem cogitationum & affectuum, insinùare solet: cum Satanas *ACCESSISSE* ad Christum, lapides & regna mundi ostendisse, ad orationem postulasse perhibea-

perhibeatur, quæ Theologi fere consentienter, de visibili accessu Satanae, de horribili ejus larva, de sonora voce in aëre formata, de gestatione lapidum in manu, accipiunt (Vide Hun. Postill. Brent. Comm. Grodicium in Quadrip. Conc. Piscatorem & alios.)

LVII.

Unde etiam tentationes ita extrinsecus & oretenus objectæ, prius à Christo elisæ & depulsæ sunt prorsus, quàm in sanctissimum ejus pectus ullo modo penetrarunt.

LVIII.

Quando autem Samosateniani, Ariani, Photiniani & hujus farinae plures alii, hujusmodi insultibus tentationum Diabolicarum, contra Christum, ejus fame, siti & similibus miseris atque infirmitatibus, abusi sunt, ad æternam essentialemque ejus Deitatem abnegandam: cum verus Deus simpliciter sit *simpliciter* in sua natura: illud inde factum est, quia semel circa personam CHRISTI, tota, quod dicimus, janua aberrarunt, unicam tantum, eamque humanam naturam ei attribuentes.

6.
Contra Ari-
anorum cor-
ruptelas.

LIX.

Nobis autem Redemptor noster ut Gigas geminae substantiæ, patefactus est in Evangelio, unicus quidem in eadem numero persona, sed secundum duas naturas, arctissimè absque omni confusione unitas, divinam scilicet & humanam. Idem enim Deus est benedictus in secula, Rom. 9. Deus verus, 1 Joh. 5. proprius & unigenitus Filius Dei Patris, Rom. 8. Joh. 1. qui in carne manifestatus est, 1 Timoth. 3. & sanguine suo Ecclesiam redemit, Act. 20. adeoque secundum assumptam hanc humanam naturam ejusmodi humanas passiones admisit, Hebr. 2. liberè tamen, & propter salutem nostram, qui aliàs iis omnibus, etiam quàm homo, propter unionem hypostaticam cum impassibili *ἀσπα*, carere potuisset, Philip. 2.

LX.

Sic etiam iidem commiserunt paralogismum, secundum non causam ut causam, quando (citante Polano in syntagmate) ratiocinati sunt. *Christus non semper ausus est miraculum edere, ut hoc loco yf. 4. 7. patet: E. non edidi miracula propria virtute, ideoque, nec verus & omnipotens Deus fuit.* Nam causa vera hujus intermissionis fuit, quia noluit gratificari Tentatori Satanae, ne Deus tentaretur.

LXI.

Porro quamvis non solo pane, tamen pane, ceu ordinario medio

7.
Contra Pa-
pistarū abu-
sū pro trans-
substantia-
tione.

vivere hominem, docet hoc loco Christus, qui panis interventu mu-
tationum Physicarum, in ipsam substantiam partium similiarium &
dissimiliarium corporis essentialiter commutatur.

L XII.

Hinc olim, circa annum Christi 1158. Petrus Cluniacensis pro
transsubstantiatione panis Eucharistici pugnavit contra Petrobru-
sianos ita vocatos (à Petro de Bruis, propter contradictiones quas-
dam adversus dogmata Pontificia, tum in Ecclesia grassantia exulto)
*Panis in homine fit caro: Ergo panis & vinum quoque in coena transmu-
tantur in corpus & sanguinem CHRISTI* (refert Centur. Magdeb. 12.
column. 838.)

L XIII.

Ridiculo certè argumento: cui similia erant illa ejusdem Clu-
niacensis: Ex nubibus grandines, nives & pluviae gignuntur; Cora-
lius de ligno fit lapis; de foeno & silice vitrum perficitur; ex aqua Cry-
stallus: Ergo (ibidem.)

L XIV.

Non autem quæritur, an possit panis in carnem mutari, sed an
secundum institutionem Christi panis benedictus, per verba conse-
cratoria, ministerio sacrificuli, in ipsam corpus Christi, sub ipsius pa-
nis accidentibus sensilibus invisibiliter latitans, debeat commutari?
Ubi Logici respondent, A posse ad esse & fieri non procedere conse-
quentiam bonam.

L XV.

Præterea negativam expresse stabilit scriptura, quæ de Sacra-
mento coenæ in ipso usu pronunciat, 1 Corinth. 10. frangi & edi panem:
atque ejusmodi fractum, distributum, sumatum & manducatum pa-
nem esse communicationem ipsius corporis Christi, ideoque non in
ipsam substantiam corporis transiisse.

L XVI.

8.
De sanctita-
te templorū.

Verùm ad recentiores pergendum: ubi quædam abstergenda
sunt in argumento Grodicii: *Si Hierosolyma sancta est. & 5. quanto magis
nostra Tempia sancta erunt, ubi arca panem de caelo descendentem, vitamq;
mundo dantem, ipsumq; legislatorem complectitur? Hæc est spei nostra an-
chora, si eum, ut par est, cum verbo & gestu, tum opere & veritate adorare,
adornareq; studuerimus* (Conc. quadrip. 3.)

L XVII.

Quamvis enim excellentiam Evangelici ministerii adeoque o-
mnium

manum sacrorum Novi Testamenti, præ Levitico cultu Veteris, non solum agnoscamus, sed etiam suo loco prædicemus: præterea etiam templis, seu oratorii publicis, Ecclesiasticâ (quam vocamus) sanctitatem concedamus qualis etiam erat Templi Jerosolymitani ad sacrificia, orationem & alia sacra destinati: tamen errat Grodicius cum allechis, existimans & perperam hoc loco concludens, sanctitatem talem templis inesse, *propter quam melius in templis, quam domi preces fiunt; Deus in templo magis sit, quam alibi; Deus in templo citius exaudiat; quam sanctitatem & DIVINAM quandam VIRTUTEM solenni consecratione templa induant; quæ præter præsentiam Dei etiam præsentia mediatoris corporalis in Eucharistia, sanctorum patrocinii & reliquis nitantur* (Bellarm. de cultu Sanct. lib. 3. cap. 1. 4. & 5.)

LXVIII.

Certè non manna cœlestis, multò minùs anchora spei, sed figmentum abominabile est, quo templa turpissimè fœdantur, panis murmuratione missificâ consecratus & ædiculæ inclusus: præferim, cum cæcâ yefaniâ mentis pro ipso corpore Christi habeatur, & cum veneratione cordis adoretur. Quid etiam monstri alat Epitheton, quo Mediatorem nostrum vocant *legislatorem*, quasi novæ & perfectioris legis conditorem, nunc non attinet longius prosequi.

LXIX.

Ad illud properamus, quando idem Grodicius, conc. 3. p. 89. hoc pacto in medium consultit: *Ecclesia ex ore Christi: Synagoga hereticorum ex ore Diaboli illud accipit: SCRIPTUM EST. Vis ad hæc discernenda Lydium lapidem? accipe unum è pluribus, illud videlicet Apostoli, 2 Thess. 2. & 15. TRADITIO igitur est, quæ te docebit, quodnam sit verbum Christi & legitimum Evangelium, & quæ ejus vera interpretatio.*

LXX.

Stapletonus in Catholico idem inculcat: *Docendus est hoc loco populus, non ex sola litera & textu, sed ex orthodoxo sensu, fidei doctrinam patendam esse: scripturarum verbalis prolatio est ovina pellis pseudopphetarum, 2 Petr. 1. & 16. Johan. 7. & 42. cap. 19. & 7. Ille verò audiendus est, qui cum scripturis intelligentiam adfert, juxta regulam fidei, juxta expositiones Patrum, juxta Conciliorum decreta.*

LXXI.

Et sanè, si de illa *verbali prolatione*, qua litera scripturæ violenter detorta, mutilata aut corrupta, præconceptis opinionibus prætextitur (de qua loca allegata sonant) si de orthodoxo sensu, quem analo-

9.
An Traditio
sit Lydium la-
pis doctrinæ

10.
De verbali
allegatione
scripturæ.

gia & mutua collatio ipsarum scripturarum & articulorum fidei exhibet; uterq; Jesuita concionaretur: facile assentiremur:

LXXII.

Nunc verò Lutherani, sub hoc titulo hæreticorum & verbalium, principaliter punguntur, quod ibidem Stapletonus, sect. 4. satis prodicit: tantum idè, quibus illi Patres, Concilia & Traditiones, easque cum scriptura & ex scriptura, loquentes, non nisi ratione consensus admittunt: unicam autem normam omnis veritatis Evangelicæ de dogmatibus controversis, verbum Dei scriptum constituunt: ex quo solo seria meditatione, ductu Spiritus sancti, secundum tenorem univèrsi fideliter considerato, orthodoxum sensum eruendum & censendum esse statuunt.

LXXIII.

Quantumvis igitur universus Clerus Romanensium ab hac unica anchora fidei nos deturbare, & ad traditionem *ἀρχαίως* alligare, conetur, qua etiam contra expressam literam scripturæ, (scripturam autem semper intelligimus copulativam, & fideliter secundum diversa loca invicem collatam) stare debeamus: frustra laborat. Christus hoc loco, ut & aliàs, ad verbum SCRIPTUM provocavit: traditiones Veterum à scriptura abludentes damnavit, *Matth. 5.* Atque ex ipsa traditiones, quas Pontificii indignant, nimis incertæ, alicubi fabulosæ, & non raro sibi invicem, potissimum autem sacræ scripturæ, contrariæ deprehenduntur.

LXXIV.

II.
An Lutherani
relièni
santur in
Barberii ca-
na, vel scri-
ptura inge-
neri?

Nostri Doctores satis malignè audiunt *verbales*, per huiusmodi convicia Pontificiorum: Sed & Bucerus virulentia admodum venenata eosdem petit, in cap. 4. Matthæi, ita scriptitans: *Satan erat nimis impudens, quam quidam hodie, & agnovit ex collatis dictis patere sensum Domini, cum pleriq; ad insaniam usq; unius loci verba urgeant, nihil pensantes, si totam reliq. am scripturam evertant. (fol. 101.)*

LXXV.

Pròbè novit, nostros Doctores à mutua collatione dictorum scripturæ, de eadem materia differentium, alienos non esse, etiam circa ipsam controversiam Eucharisticam, propter quam reprehensionem hanc fabricat: ut qui fidelissimè consensum trium Evangelistarum cum B. Paulo, *2 Cor. 10. & 11.* observent & urgeant: Verùm hoc male habet hominem, nos perspicuis, planissimis & ab omni tropo alienis verbis, in ipsa sede institutionis Dominicæ, tam fortiter inniti, ut à nullis

nullo aliis impertinenter, ad everfionem genuini fenfus, ex Joh. 6. & aliunde, protractis, dimoveri nos unquam patiamur.

LXXVI.

Planè ut olim Petrus Martyr in Dialogo contra Brentium nos adortus est: *Vos Lutherani femper mihi vifi eftis, minus, quàm par est, fapere, cum pro dogmate aequè abfurdò ac inutili fic laboretis, nec pro eo tuendo quicquam habeatis, nifi Chrifti in ipfo: hoc eft corpus meum.* Idem alibi noftram probationem ironicè quing, verbiàm vocavit (vide plura apud Conr. Schlüsselb. in Theol. Calv. lib. 1. fol. 117.)

LXXVII.

Quod autem multoties refponfum eft, id nunc quoq; repetimus: Si leges & decreta regis mundani, pauciffimis verbis concepta, fuam autoritatem habent, tantò auguftiore, quantò plus ponderis & majeftatis breviliquo Magnatum inefle femper creditum eft: cur non ftaremus diviniſſimo pronunciatò ipſius Jehovah, licèt pauciffimis verbis, & femel tantum promulgato, præfertim ftulo teftamenti & ultimæ voluntatis, & toties apud Evangeliftas repetito?

LXXVIII.

Si potiùs hujufmodi cantilenam occinant Calviniani, qui, in abnegatione omnipræſentiæ CHRISTI hominis, Afcenfionem in cælos, & dictum: *Non eft hic*, ita mordicus urgent, poſthabeant expreffas promiffiones, *Matthæi cap. 18. verf. 28. Johann. 14.* & fundamenta ſcripturarum, in ipſa fede hujus doctrinæ, de exaltatione Chrifti hominis ſupra omnes cælos, de feſſione ejufdem ad dextram virtutis, negligunt: nihil penſi habentes, etiamſi tali diſputatione unionem perſonalem ſolvant, Neſtorianifmum plenè velis reducant, adeoquè ipſis Photinani, & aliis abnegatoribus Deitatis Chrifti, latam viam ſternant.

LXXIX.

De tranſſubſtantiato pane cœnæ, ideoquè devotioni Papiflicæ adorabili, priùs quoque diximus: Sed Catechiſmus Marquardi Leonis, paginà 119. perita ex noſtro textu propoſitione majori: *Dominus Deus eft adorandus*, ſubſumit: *ſed hic Dominus eft in pane Euchariſtiæ tranſmutato. Ergo adorandus*, videlicet in pane illo, ſeu potiùs ſub accidentibus panis, quæ ſola ſupereſſe fingunt Papiflicæ communiter omnes.

12.
De adorati-
one Euchari-
ſtiæ.

LXXX.

Neganda autè eft aſſumptio, eo fenſu, quo à Pontificiis accipitur: Fingi-

Fingitur enim præsentia Dei, quæ nullum documentum, nullam promissionem, in verbo revelato habet. Aliàs nec universalem illam apud omnes creaturas, nec gratiosam apud fideles Domini, præsentiam ignoramus: Scimus autem Dominum ubique adorandum non tamen communicare hunc honorem cum creaturis, quibus, etiam dum adoratur, præsens adest. Unde nec fideles coadorantur, quorum corda Christus per fidem inhabitat, *Ephes. 3. vers. 17.* quibus Deus & Spiritus sanctus ut templis utitur, *1 Corinth. 3. & 6.* Nec elementa panis & vini coadoranda sunt, etiam si iidem in usu cœnæ, corpus & sanguinem suum, Christus sacramentaliter uniat, eisdem etiam ipse totus gratiosâ suâ præsentia adsit.

LXXXI.

13.
De adoratione Christi hominis.

Sicut autem Papistæ per Artolatricam in excessu peccant, adorationem soli vero DEO competentem etiam transsubstantiato suo pani attribuentes: ita Calviniani in defectum exorbitant, etiam Christo ipsi, qua homini, cultum adorationis divinæ denegantes, hoc syllogismo: *Quicumque adoratur, cum oportet esse verum Deum: sed humana in Christo natura non est Deus, Ergo humana in Christo natura non debet adorari.*

LXXXII.

Quæstio videlicet est, non de adoratione humanæ CHRISTI naturæ seorsim exhibenda, ut quæ seorsim nunquam extitit; sed an eadem latrâ adorationis, quæ Filio DEI præstatur, simul in unitate personæ, ad humanam ejusdem, seu (quod idem est) ad Christum, etiam quâ hominem (subjectum, non causam hoc termino exprimus) extendenda sit.

LXXXIII.

Pro negativa malè concludit argumentum, cujus minor propositio non est simpliciter vera: Etiam si natura Christi humana essentialiter non sit ipse Deus, tamen, juxta phrasin Græcorum Patrum, *Deificata est, seu juxta Athanasium, in Deum assumpta*, hoc est, una eademque numero persona facta cum æterno *αὐτῷ*, per cujus æternam & adorabilem hypostasin, (aliàs seipsâ *αὐτῷ ἑαυτοῦ*) homo iste personaliter est ipsissimus æternus & naturâ Deus, sicut, *Galat. 4. vers. 8.* appellatur: ideoque propter gratiam unionis, juxta decretum Synodi Ephesinæ, unâ latrâ adorandus.

LXXXIV.

Atque hac Christi hominis adoratione ipsum verum Deum adorari.

orati, evidentia aliarum locutionum clarescit: Quando enim Filius Marię virginis vñlebatur, ignominia afficiebatur, crucifigebatur, vulnerabatur; ipse Dominus glorię crucifixus est, & Deus ipse sanguinem effudit, quo Ecclesia redempta est, *1 Cor. 2. Act. 2.*

Sequuntur aliquot Elenchi.

LXXXV.

Nostram nunc operam poscit Elenchorū principalium enumeratione: Ubi statim ab initio subscribimus sententię Veterū, qui *Duellum* seu certamen duorum usq; ad mortem (priscis seculis admodum usitatum, atq; adhuc, per conniventiam Magistratus, militaribus thrafonibus satis familiare) *inventionem Diaboli* appellarunt: vel ob hoc exemplum Satanz, qui insensibilissima monomachia Christum adortus est; & illius Goliathi, qui cum blasphemia adversarium ex Israelitico exercitu singularem provocabat, *1 Sam. 17.*

LXXXVI.

Deterius sanè est delictum provocantis: sed nec extra gravem culpam manet, qui provocatus vel proprio annutu, vel aliorum impulsu & persuasione, obsequitur, dum arenam devitare possit.

LXXXVII.

Quod cum de provocato, seu provocationibus obtemperante, affirmo: non denego ei defensionem necessariam, quā cuilibet vim vi repellere, intra fines inculpatę tutelę, permisso Dei & Rerum publicarum licet: ut qui ad ordinarium medium defensionis & vindicationis (ad Magistratum scilicet) eo in articulo confugere non valet.

LXXXVIII.

Causę evidenciores damnati duelli præ ceteris sunt: ¹ Quia nemini privato extra casum iustę & necessarię defensionis, licet alterum occidere, vel ei mortem intentare, quod tamen omnes *μὴ σκοπεύει* in votis habent. ² Nemo debet sese periculo objicere, nisi speciali Dei mandato munitus, quod hic prorsus deficit. ³ Vindicta omnis ordinariè à proposito Magistratu petenda, aut si ille deficiat, vel iniquus aut negligens sit, Deo permittenda est, *Deut. 32. Rom. 12.*

LXXXIX.

Unde vox Dei esse nequit, nec legitima vocatio, si vel inconsideratus Magistratus, vel corruptus, vel Tyrannicus lites & causarum discoptationes per duelli certamen terminari jubeat: Nam per negligentiam & improbitatem deserit suum munus, quo innocentes tueri

Bh

debet,

14.
De duello: an
licitum?

debet, cujus culpa te obtemperantē coram Deo non excusabit: Cum enim liceat ferro iniqua judicia, quę legitimis modis declinare nequis, improbare tamen, pro virili, & quantum in te est, semper debes.

X C.

Præcipuè duellum est illegitimum medium (carens verbo & promissione) ad probandam & explicandam occultam innocentiam: unde ob tam manifestum periculum, Deus non minùs illo tentatur, atque olim gestatione ferri igniti, vel sumptione cœnæ Dominicæ vel aliis modis factum est.

X C I.

Testes, accuratum examen & juramentum ostendunt sacræ literæ, *Jos. 7. Deut. 19. Hebr. 6. Jerem. 21. Exod. 22.* his deficientibus reus absolvatur, etiamsi aliqua pressura, super occulta innocentia, devoranda, hujusq; manifestatio Deo resignanda sit, *Psal. 37. v. 6.*

X C II.

David quidem feliciter sub præsentissimo præsidio Altissimi pro toto populo Israëlítico, solus pugnavit adversus Goliathem, *1 Sam. 17.* sed fecit illud prophærico & extraordinario Spiritus sancti instinctu: Quemadmodum etiam Moses in hujusmodi duello occidit virum Ægyptium, tum heroico quodam impetu, qui ad imitationem minime trahendus, tum, ut Magistratus, immediata vocatione Dei ad liberandum populum Israël destinatus, *Act. 7. v. 25.*

X C III.

At bellum, inquis, legitimum geri potest: ergò etiam duellum? Sed responderetur: Duellum, quã tale, legitimi belli nec speciem, nec partem esse, quemadmodum nec approbationem Dei in sacris literis prætereundum potest, sicut bellum manifestè approbatur. Quamvis enim carnali judicio consultissimum videatur, unius periculo vel damno magnarum copiarum salutem redimere; tamen infelix est executio hujus compendii, per medium illegitimum; nec faciendum est malum, ut eveniat bonum, *Rom. 3. v. 8.* Justa causa Reipublicæ meretur, ut omnibus viribus dimicetur: ideò ludibrio adeo habenda non est, ut in duorum fortuna prorsus colloceatur. (Vide hac de re P. Mart. in lib. Samuelis, fol. 101. & Guilel. Perkinsi, de casibus conscientię, lib. 5. casu 5. pag. 466.)

X C IV.

11.
Satanas quid
possit per sa-
gas & alias

Nunc visibilem apparitionem Satanę, ductum ejus, quo abripuit Christum & collocavit in pinnaculo templi, deniq; etiam omnia regna

regna mundi, eorumque gloriam mirabili quodam phantasmate, & in actu oculi (ut Lucas commemorat) ceu in tabula Cosmographica, ^{præstigiis suas?} repræsentavit: opponimus iis, qui à veritate alienum esse perhibent, quòd Diaboli varias, interdum etiam corporeas, hominum, animantium, aliarumque rerum, species induere, hominibus conversari, incredibili celeritate corpora à loco in locum transportare, & alia secundum ordinarium cursum nostro captui familiorem impossibilia, perficere, aut certè sensibus nostris, per miras præstigias, illudere, queant. (Ex Ulrico Molitoris de Sagis.)

XCV.

Huc pertinet, quòd Satanas in prima & nocentissima sua tentatione, non solum occultis suggestionibus, sed etiam per visibilem & corporeum serpentem, adortus est Evam, *Genes. 3.* Et postea Sauli Regi simulacrum Prophetæ Samuelis visibiliter repræsentavit, per quod etiam vaticinatus est, *1 Sam. 28.*

XCVI.

Idem evincit universa historia spectrorum, apparitionum nocturnarum, quæque de Faunis, de Satyris aliisque similibus ferè infinitis Dæmonum præstigiis & illusionibus cum leguntur, tum per examina Sagarum non suspecta, quotidie cognoscuntur: quibus licet interdum quædam dubia & incerta immisceantur, omnis tamen fides deneganda non est.

XCVII.

Quamvis enim nec condere novas creaturas, nec miracula, propriè ita dicta, edere valeat Diabolus, omni quoque circumscriptis limitibus potentia ejus coercetur: tamen magnam esse illam ipsius potentiam & astutiam, unde hujusmodi effectus proficisci solent, imò longè majorem, quam per Philosophica principia, aut quotidianam observationem, exactè rimari possumus: vel sola hujus Evangelii historia demonstrat, ut & alia descriptiones, quæ in genere ipsius potentiam, ceu principis aëris & Dei hujus seculi, ostendunt, *2 Cor. 2. vers. 4. Ephes. 6. vers. 12. Apocal. 12. vers. 4. 12.*

XCVIII.

Bucerus (quem Oecolampadius sequitur) hic suum dissensum à communi & modò dicta interpretum sententia apertè profiteretur; Et nominatim hanc CHRISTI translationem in templum & montem, negat fuisse corporalem & localem, per rationes, quas his verbis exponit: *Cum scriptura similem tentationem non narret, ubi Satan tentator*

16.
Opinio Buceri de apparitione Diaboli coram Christo.

tatos corporaliter aliquo transvexerit, & est tamen Christus tentatus per omnia ad similitudinem fratrum, Hebr. 4. Deinde nulla possit utilitas ostendi hujusce transvectionis corporalis, siue tentationem spectes, siue alia: equè enim non transvexus tentari potuit: Postremo, cum Matthæus noster scribat, in desertum subductum, ut tentaretur, quo sanè significat, in deserto tentationem peractam: Mihi videtur, imaginariam fuisse hanc in templum & in montem assumptionem, sicut abscondio Lumbaris ad Euphratem à Jeremia, c. 13. & dormitio Ezechielis super latus sinistrum, c. 4.

XCIX.

At enim rationes hæ tam solidæ non sunt, ut propter eas tam facile à communi interpretum explicatione deceat recedere, cui & simplicitas narrationis & emphasis verborum favet, communis etiam praxis Satanicæ *methodus* correspondet.

C.

Ad primam enim plurimæ instantiæ suppetunt. Sufficiat illa Matth. 17. Transfiguratio Christi itidem semel tantum illi, & illi soli obtigit, nec tamen ideò vel allegoricè vel imaginariè est accipienda: ut & sudor sanguineus in horto Oliveti, Luc. 22.

CI.

In omnibus quidem ad similitudinem fratrum tentatus est Christus, scilicet iis, quæ communem sortem fragilitatis humanæ (non verò personaliter quædam tantum individua) comitari solent: sed, hac similitudine non obstante, etiam in pluribus peculiariter tentatus est *Exempli gratia*, hoc ipso jejunio quadraginta dierum & noctium, sudore sanguinis modò allegato, &c.

CII.

Ad secundam: Nos invertimus argumentum: Ejusmodi translationem, qualem Matthæus verbis simplicissimis describit, ordinavit Pater cœlestis, & admisit Filius sapientissimus. Ergò non fecit frustra, absque omni utilitate, Ne in utilitatibus indagandis diu laboremus, prostat hæc: A minore ad majus possunt Christiani colligere: si, permittente Deo, tantum valuit importunitas, potentia & astutia Satanæ in ipso Filio Dei, quid non moliturus est adversus nos, si extra præsentissimum præsidium Dei & Angelorum ejus, vel tentandi gratia, relinquamur? Voluntas Domini est pro ratione: potuisset etiam extra desertum alibi tentari: sed tentatus est in deserto, quia ipse voluit, & Patri cœlesti ita placuit.

CIII.

Sic etiam *tertia* ratio infirmissima est, dixerim etiam admodum puerilis: *In deserto tentatus est Christus, Ergo nec in monte excelsa, nec in pinnaculo templi.* Matthæus enim, circa triplicis tentationis descriptionem expressè tria loca designat, quorum uno posito, reliqua negari haud debent: nec dicam, quod in ipso quoque deserto mons præaltus huic tentationi sedem præbere potuit. Certe Grodicius hic annotat, Conc. quadrip. 3. *Quidam putant, fuisse montem tran. Jordanem, unde Deus Mosi ostendit terram promissionis: probabilius tamen sentiunt, Doctores, fuisse prope locum, ubi Christus jejunaverat: Peregrinantes asserunt, eum adhuc vocari montem Diaboli. Quicquid sit, hoc tamen certum est, cum multis miliaribus fuisse distans ab Hierosolyma, quò tamen brevissimo spacio Christum detulit Satan.*

CIV.

Quemadmodum autem Bucerus protestatus est, ita & nos! judicent Fratres, utra sententia veritati, ædificationi pietatis, & circumstantiis textus propior sit: præsertim, cum ex Marcionitarum hæresi notum sit, quid Saranas molitur, quando actiones & passiones CHRISTI in phantasmata & res imaginarias transformat: inò quantum periculi adhuc Ecclesiæ imminet ab iis, qui in allegoriis & tropologiis, ubi textus nulla necessitate urget, nimis quàm liberales sese præbent.

CV.

Denuò etiam inculcamus, quòd Christus singulari Spiritus sancti ductu in desertum venit, sicq; in eas difficultates incidit, quas textus historiæ exponit. Opponimus hoc iis, qui propria vel temeritate, vel cæca pietatis opinione, sibi ipsis crucem fabricant, abjiciendo facultates sese paupertati; abjurato conjugio se tentationibus vagarum libidinum; per inediam, jejunia & similem carnificinam corporis, morbis; per superstitiosas peregrinationes, terra mariq; susceptas vel aliis modis, se periculis obsciunt: aut alia vota impossibilia Monasticæ & Eremiticæ vitæ sectantur.

CVI.

Quemadmodum enim Christus, subnixus vocatione spiritus, ut & Israëlitz ingressi mare rubrum atque desertum, *Exod. cap. 14.* Petrus illapsus in mare, *Matth. 14.* itidem divino mandato confisi, facile eluctati sunt: Ita isti absque tali verbo, mandato & vocatione amantes periculum, ut plurimum in periculo corpore & animâ pereunt: nisi

17.
Non temerè
sunt adeun-
da pericula.

hominum nunquam aggredierentur. Deponi autem & evitari debet omnis simulatio, *1 Petr. 2. vers. 1.*

CXII.

⁴ Terreant tragici casus, in historiis magno numero annotati, in quos, permissu Dei, per insidias Diaboli, Larvati inciderunt. nonnunquam etiam miserrimè in iis perierunt. (Vide Theatr. Zwing. Vol. 17. lib. 8. pag. 2632.)

CXIII.

⁵ Præterea expressa maledictio Dei fulminat adversus larvatos, Deut. 22. *vs. 5. Mulier non ferat arma (instrumenta) viri, neq; induet viri vestimentum muliebre: quia abominatio est coram Deo si quis hoc facit.* Causa in promptu est: quia Deus non est autor confusions, sed honestatis, ordinis & decoris, *1 Corinth. 14. v. 33. & 40.*

CXIV.

⁶ Quod si vir, contra publicæ honestatis consuetudinem, comâ muliebri & longiori dehonestat caput suum, *1 Cor. 11. vers. 14.* quanto magis se totum deformat, coram Deo, S. Angelis & fidelibus Christianis, qui formam non tantum foeminae, sed sagæ, Diaboli, Fauni & Satyri, porci, bovis, &c. ex mera levitate mentitur?

CXV.

⁷ Spiritus sanctus nos hoc argumento, ceu horrendo spectro, à crassioribus peccatis deterrere studet, quando in clamat, ne assimilermur jumentis, *Psal. 32. vers. 9. 49. vers. ult.* Tu verò schemate exquisitè, non rarè etiam majori impensâ, quàm qua omnis tua beneficentia erga pauperes constat, consûto, gaudes apparere, ut brutum, vel ut phreneticus. Itane contemptui habes prærogativam & dignitatem tuam, qua te, supra omnia alia animantia, Creator tuus exexit, animaq; rationali dotavit?

CXVI.

Notanter autem dixi de larvis ex levitate aut malitia mentis assumptis, cum aliàs vestium usus in libertate nostra sit relictus, harumq; varietatem varii casus, tempora, loca, consuetudines & statuta, in adversis vel secundis rebus, requirant. Cibus per se nec commendat coram Deo, *1 Corinth. 8. vers. 8.* nec damnat, *Roman. 14. vers. 6.* ita & vestis.

CXVII.

Unde frustra ex reatu larvatorum eluctari laborat, qui prætexit simulatum habitum exulum, propter persecutiones profugorum; vel

Davidis, & Samuel. 19. & 21. vel Gibeonitarum. Josu. 9. vel Jacobi Gen. 17. vel Comicos & tragicos lusus representantium. Hic enim omnia ex necessitate, gravi consilio, honesto & salutari fine interdum etiam singulari instinctu Dei gerebantur: qua circumspectione etiam Comœdiæ instituendæ sunt, ne à scopo honestatis & utilitatis, per coincidentem levitatem aberrent.

CXVIII.

18.
De armis,
quibus Papi-
stæ expugna-
re solent Dia-
bolum.

Hinc digressi non possumus facere, quin aliud genus larvatorum seorsim aggrediamur, videlicet personatos exorcistas in Papatu, qui oppugnaturi & ejecturi Satanam, non solo verbo (quemadmodum Christum fecisse, sicque fortiter stetit videmus) sed etiam aquâ benedicta, conceptis formulis exorcismorum & imprecationum, signo crucis & nonnullis aliis certaminibus & gestulationibus fatis ludicris, dimicare solent. (Vide Bellarminum de cultu Sanctorum, libro 3. cap. 5.)

CXIX.

Quis verò hæc arma ex Spiritu Dei docuit unquam? Certè Paulus in Panoplia sua, adversus Satanam necessaria, ea profus omisit, Ephes. cap. 6. Straminea halitu infernalis ille Levathan displodit, & interim ride. Quod si interdum cedit, facit id in gratiam eorum, qui, pro dimissione unius corporis, vel corporei membri, hac ipsa superstitione, ut & universa sua cacolyca religione, tum suam ipsorum, tum aliorum animas innumeras ad spiritualem captivitatem æternamque torturam mancipant. Facit etiam illud in sui regni incrementum: quò enim plausibilia videtur ista ludicra, eò efficacius damnablem superstitione irretiuntur homines in via erroris dementati.

CXX.

Mutantibus hic, non esse bonam consequentiam ex loco oppositorum: Verbo pugnandum est, Ergo non aquâ benedictâ, & aliis enumeratis: alias enim contra Christi doctrinam, nec oratione fugari posset, Diabolus, Matth. 9. vers. 29. Respondendum est, magnam esse dissimilitudinem: Verbo enim oratio, fides & alia arma Panopliæ Apostolicæ, per expressam doctrinam Spiritus sancti, non opponuntur, sed coordinantur & artissimè copulantur: imò oratione & fide pugnans, ipso verbo Dei, cui fides & oratio innituntur, propter artissimam necessitudinem, pugnat. Traditiones verò humanæ & abusus verbi, per quos Papistæ pugnant, expressè à verbo Dei excluduntur, Deut. 4. & 12. Matth. 15. cap.

CXXI.

In mentem hoc loco venit blasphemiæ istius insaniam, qua sex Jesuitica perpetuò tumultuatur adversus famam & doctrinam Lutheri propterea, quia ipsemet descripsit, quot & quam hostiles impetus Satana sustinuerit, tum alias, tum imprimis, super negotio Missæ privatae. Hinc enim altum exclamat illa: *hæc Tertium Heliam & quinti Evangelii Evangelistam, cui Satanas tam familiaris fuit, qui disputationes Satana auscultavit!*

20.
Non statim *scilicet Lutheri*
sunt impii,
quos Satana
cominus &
q. familiariter
aggre-
ditur.

CXXII.

Quasi verò Diabolus suis tentationibus & disputationibus non adortus fuerit sanctissimos quoque! quasi ipsimet Papistæ non ingeminent Eremitarum congressus cum spiritu maligno! Quasi non ipse Christus hoc loco diversis modis cominus impetitus fuerit ab eodem, imò etiam ab uno loco ad alium traductus.

CXXIII.

Nihilominus gloria hæc Christi est, qui victoriam reportavit, qui destruxit opera Diaboli, *1. Joh. 3. vers. 8.* Occurrit quidem princeps mundi, sed nil quicquam habuit in ipso, *Joh. 14. vers. 30.* quin potius contrito capite succubuit, *Genes. 3. vers. 15.* Similis gloria manet etiam Lutherum & similes Athletas in spiritali lucta, quantumvis familiariter Impetus Satanae viriliter sustinuerunt, omnibus confectis steterunt, *Ephes. cap. 6. vers. 13.* Vicerunt; ideoque edent ex ligno vitæ, induentur albis vestibus, accipient potestatem super gentes, & coronam vitæ, & sedebunt in throno agni, *Apocal. 2. vers. 7. 10. 26. cap. 3. vers. 21.* Ob quam spem & gloriam immarcessibilis brabei facillè rident omnes hujusmodi calumnias.

CXXIV.

Et sanè lucratur ex hoc Evangelio Lutherus & tota Evangelica Ecclesia à Doctore suo Luthero agnominata, quo aliam gravissimam calumniam solidè retundere potest. Notius est, quam ut prolixa repetitione opus sit, quantis conviciis Lutherus, ceu manifestus falsarius & depravator scripturæ à Romanensibus traductus sit, *propter voculam SOLA dicto, Rom. cap. 3. v. 24, in Germanica versione insertam.*

21.
Pro versione
Germanica
Lutheri, Ro-
man. 3.

CXXV.

Ita enim concludit nostra Ecclesia: Quæcunque versio ex ore Christi exemplum suæ imitationis habet, illa immeritò reprehenditur.

tur: atqui versio Lutheri, qua secundum proprietatem Germanicæ linguæ, per assumptam particulam exclusivam, genuinam sententiam Apostoli exposuit, exemplum habet in ipso Christo, Ergo Minor probatur, quia verba Moïsis, *Deut. 6. vers. 13.* in Hebræo sine exclusiva posita, ipse protulit cum particula exclusiva, *ipse SOLI servies; & quidem juxta translationem Græcam LXX.* Interpretum, quorum autoritas etiam honestum locum habet.

CXXVI.

Quod si tantum crimen est proprietatem sententiæ, per assumptam particulam exclusivam reddere, non solum canonisatione Concilii Tridentini excidet, sed etiam ignem merebitur versio Latina antiqua, quæ, ut in aliis locis pluribus, ita in hoc ipso textu, *Deut. 6. v. 13.* particulam hanc adjecit, & adhuc retinet? *Dominum Deum timebis, & illi SOLI servies.*

CXXVII.

Memorable est & illud, quod Joannes Gerhardus in Locis Tom. 3. paginâ 1501. ex Bibliis Venetianis similem versionem, circa idem thema, super quo Lutherus tam hostiliter exagitur, produxit; Ubi videlicet verba Apostoli, *Galat. 2. vers. 16.* habent, quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: Italica translatio exhibet hæc: Sapendo, che l'huomo non si justifica da le opere de la lege, ma SOLO per la fede di GIESU Christo, per SOLAM fidem JESU CHRISTI. (Vide etiam Lutherum, Tom. 5. Jenens. Germ. paginâ 140.)

CXXVIII.

In eadem sententia Mosaica validius pedem figentes, etiam idolatriam Papipticam, quam in invocatione Angelorum & Sanctorum defunctorum, ut & in cultu & adoratione imaginum continuant, oppugnamus, cum Statibus (In der stattlichen Auführung/ fol. 61. b.) *Solus DEUS adorandus est, soli etiam Deo* (devotione scilicet mentis) *serviendum.*

CXXIX.

Quamvis enim Papiptæ negationis suæ arcem ponant in distinctione sua inter *ἀρχαίων* & *δουλείαν*, aliosq; inferiores gradus cultus, latrariam magnâ protestatione soli Deo reservantes; tamen ipsa distinctio, quoad *ἰσθῆ*, habet sibi adversam scripturam, *Matth. 4. vers. 10. Actor. 20. vers. 19. Roman. 1. vers. 9. cap. 7. vers. 6. 12. vers. 11. 14. vers. 18.* Et quoad rem ipsam *ἀρχαίων* est, cum invocatio & dulcia eadem involvat & necesse.

Solutio in
Cant. Summ. p.
p. 170.

22.
Contra ad-
orationem
Imaginum
& Sancto-
rum.
De h. p. 238.

necessariò præsupponat, quæ (videlicet noticiam necessitatis, misericordiam, facultatem opitulandi & intercedendi) adoratio religiosa in se continet.

Memoria CXXX.

Certè Psalterium D. Virginis docet eadem prorsus ab illa petere, quæ David adoratione & Latria sua ab ipso Jehova rogavit.

CXXXI.

Cultus religiosus imaginum expressè prohibitus est in lege morali, & ardentissimo zelo à Prophetis impugnatus: cultores autem imaginum (etiam, quando Deum Israël pro objecto adorationis respiciebant) semper ut Idolatræ damnati sunt, *Exod. 32. Psal. 106. v. 20. 21. Jerem. 2. v. 27. Judic. 17. v. 5. Hosea 2. v. 16. & c.*

CXXXII.

A Pontificiis super eodem axiomate convertimus nos ad Photinianos & alios abnegatores Deitatis Christi: Cuicumque personæ id tribuitur in scriptura, quod non nisi soli Deo æterno competit: ea, secundum autoritatem scripturæ, est verus & æternus Deus: Sed personæ CHRISTI Redemptoris totius mundi tribuitur in scripturis id, quod soli æterno Deo competit, *Esaiæ cap. 42. vers. 8. Matthæi 4. vers. 10. Luc. 4. vers. 8. nempe adoratio, invocatio, & cultus religiosus, Psal. 97. vers. 7. Hebr. 1. vers. 6. Philipp. 2. vers. 9. 10. Actor. 7. vers. 59. Roman. 10. vers. 13. 2 Corinth. 12. vers. 8. 9.* Ergò Christus est verus & æternus Deus.

CXXXIII.

Excipiunt quidem blasphemi illi Sophistæ, committi à nobis fallaciam secundum non causam, ut causam: CHRISTUM nempe adorandum esse, sed non ideò, quòd sit verus & æternus Deus, sed quia Deus in Novo Testamento id peculiariter præceperit, hocque prorsus novo edicto quasi restituerit & mutaverit legem Veteris Testamenti: Solum Deum adorabis.

CXXXIV.

Quibus respondemus: perversissimè hanc mutationem antiqui præcepti prætendi, quæ nec facta unquam est, nec fiet, quamdiu causa præcepti durat, hoc est, quamdiu Deus verus noster, Deus nostra salus, nostra petra, nostrum refugium & fiducia, nostra laus est, quamdiu manet unicus Creator, solus qui fecit mirabilia, *Psal. 88. v. 1. 2. 3. Deut. 10. v. 20. Apoc. 14. v. 7.* Ipse certè Salvator noster præceptum Mosaicum non solvit, sed secundum literam repetiit & stabilivit *Matth. 4. vers. 4.*

23.
Christus est
Deus, quia
adorandus.

Præcepti autem specialis, de adorando Christo in Novo Testamento, non fuit planè recens promulgatio, sed specialis repetitio & accommodatio, propter revelationem Filii Dei in carne assumpta, in qua etiam adorandus erat deinceps, cum in Veteri Testamento tantum, ut Deus (utpotenondum incarnatus) fuisset adoratus, *Esa. 6. vers. 3. juxta Joh. 12. v. 41. Esa. 44. v. 20. juxta Rom. 15. v. 12.*

CXXXV.

Atque hæc quidem ex præsentis Evangelio demonstrare libuit: In quo etiam fames, Christi humanitatem affligens, confundit veteres hæreticos, qui pro vero corpore phantasma quoddam imaginati sunt; Et contra Stoicos liquet, Deum Filiumque ejus Jesum Christum causis secundis non esse alligatum, sed eminenter posse facere supra omnia, quæ petimus aut cogitamus, *Ephes. 3. vers. 20.* Sadducæorum autem progeniem convincit tam solenne specimen spirituum bonorum & malorum, cum expresso testimonio scripturæ conjunctum, *vers. 1. 5. 6. 8. 11.* Qua de re nunc plenius dicere non cogitamus.

DISPUTATIO IX.

DOMINICA
REMINISCERE,*Matth. 15. v. 21. 28.*

I.

Rertinet hoc Evangelium ad praxin fidei & Theologiæ Christianæ, revocans nos potissimum ad illam artem, quâ, in summis nostris angustis, Deum non solum (juxta nomen Dominicæ) ad remissionem commiserationis adducere, sed etiam quasi adigere possumus, patiundo, perseverando, orando, instando: unde, quæ in foro disputationum agitantur, rariùs hinc occurrunt, præsertim si reseremus ad sequentem Dominicam, quæ de Dæmonum insidiis & obsessioibus, occasione hujus & præcedentis Evangelii in medium adferre possent.

Cedit

II.

Cedit autem generosum hoc exemplum Cananæ ad commendationem sexus fœminei, ne vel à censu hominum, vel à communione Ecclesiæ, adeoque ab ipsa æternæ salutis participatione, per se, citra adventitiam culpam infidelitatis, mulieres secludantur: Cum muliercula hæc plusquam virili specimine pietatis, humilitatis & fidei erga Christum, charitatis erga filiam, constantiæ in tam diuturna & difficili lucta, prudentiæ Christianæ in casu tam ancipiti, ut & orationis indefessæ circa auxilium tamdiu dilatatum, ediderit, eximiaque hujus suæ præstantiæ Christianæ elogium ex ipsius Christi ore retulerit: *Magna est fides tua: planè, ut de viro Centurione, Matth. 8. legitur: tam; am fidem non inveni in Israël.*

Pro dignitate mulierum fidelium.

III.

Quemadmodum etiam Sara, mater fidelium fœminarum, 2 Petr. 3. vers. 6. Maria virgo, gratiosa coram Deo & beata apud omnes generationes, Luc. 1. vers. 39. 48. Elisabeth, divino Spiritu plena, Lu. 1. v. 41. Hannaque Prophetissa, nocturno diurnoque cultu Dei occupata, Luc. 1. vers. 37. perhibetur.

IV.

Attendendum autem præcipue est generale axioma: In Christo Jesu, neque mas, neque fœmina est, Galat. 3. vers. 28. Et fœminæ fideles, licet infirma vasa, sunt hæredes gratiæ vitæ. 1 Petr. 3. vers. 7. adeo, ut etiam vir infidelis, suo modo & gradu, per conjugalem cohabitationem cum uxore fidei, sanctificetur, 1 Cor. 7. v. 14.

V.

Id quod circa historiam hujus Syrophœnissæ tantò vigilantius observandum videtur, quantò infaniori cum conatu Scurra ille, Anno 1595. verbis Christi hoc loco abusus est, ad adstruendam thesin, quòd mulieres non sint veri homines.

VI.

Contendebat ille: CHRISTUS taciturnitate sua nihil aliud voluit significare, quam se ad mulieres non pertinere, nec mulieres ad se. Intercedebant discipuli pro illa, sed quid acceperunt responsi? non sum missus propter illam. Auditisne mulieres, Christum propter vos non esse missum? thes. 2. 1. Non homines, sed canes, non filius, sed catellus vocat mulieres, thes. 2. 2. Si mulier esset homo, omnino male dixisset Christus, non esse honestum eam adjuvare, pejus panem filiorum sumere, pessimum dare canibus: quandoquidem

dem non sumitur, quod in commune pertinet: Atque Christus omnia bene locutus est, thes. 23.

VII.

Rectè sanè: Omnia bene Christus, & locutus est, *Esa. 50. vers. 4.* & fecit, *Marc. 7. vers. ult.* etiam cum affirmaret, non sum missus, nisi ad oves Israël, non est bonum sumere panem filiorum: imò, cum prorsus taceret. Fallit autem blasphemus foeminei sexus calumniator, per paralogismum non causæ, ut causæ: Vera enim causa tacendi circa primordia petitionis, tergiversandi auxilium, differendi exauditionem, detrectandi suum officium, non fuit illa, quæ fingitur (Sanavit enim tandem filiam: sanavit hæmorrhousam etiam non rogatus, *Math. 9.* & semen mulieris vocari, inde ab initio Ecclesiæ, dignatus est; *Genes. 3.*) sed mirabile Domini beneplacitum, quo desiderium supplicis foeminae, orandi que fervorem, hoc pacto accendere, patientiam & constantiam ejus probare, aliisque in exemplum patefacere voluit.

VIII.

Quâ intentione Christus affirmaverit, se non esse missum, nisi ad oves *Israëlicas*, intra suo loco indicabitur. Hoc autem nunc in primis notandum est, Christum ista verba protulisse ad Chananæam, non quâ foeminam, sed quâ gentilem, ideoque præsentis suæ intentioni inserviendo, non solum foeminas, sed etiam viros ab ovili Israëlítico segregasse.

IX.

Quemadmodum & *canon* appellatione metaphorica omnes gentes à communione Judaicæ Ecclesiæ alienas, utriusque scilicet sexus, notavit: unde vigore harum assertionum Christi mares nullam prærogativam præ foeminis jactare possunt.

X.

Integrum nihilominus manet illud, quod Salvator istud tam verborum, quam gestuum schema dissimulandi studio figuravit, quò eò feliciter ad fines antea annotatos, cum fructu afflictæ matris & filia, ut & aliorum, quos hoc exemplo instruere cogitabat, perveniret.

XI.

Præterea quod ad tempus videbatur denegasse inclementius, miserabili cum benevolentia tandem præstitit; exaudivit preces, sanavit filiam, generosam fidem Mulieris publicè prædicavit; ideoque ipso facto demonstravit, se suaque beneficia pertinere ad illam, eandemque sibi per fidem acceptissimam esse.

XII.

Regerit quidem nugivendus ille varia, sed talia, in quorum fabricitate sibi ipsi diffidit, & satis prodir, se non veritatis certitudine, sed tantum ad propugnandam thesin tam diversa corradere.

XIII.

Fides quidem (ait) Chananaea tribuitur, non tamen salvifica: quia non dicitur: Fides te salvavit, sed fiat tibi, sicut vis, thes. 24. 2 aut si concerni salutem, corporalis tamen illa est, sicut & illa hemorrhoufa, Matth. 9. thes. 25. 3 Ad hæc fides Diabolorum quoq, est, Jacob. 2. thes. 26. Imo accipi potest eo sensu, quo alias interdum hominis fides & spes in med. cum & remedium plus efficit, quam medicina cum medico, th. 29.

XIV.

Quasi verò fidei veræ & salvificæ non sint plura officia, præter primariam promissionem & beneficium vitæ æternæ, etiam corporalia bona, & promissiones de illis, amplexandi? Si per allegatas causas fides Chananaea non non fuit vera, & cum salvifica fide virorum (ut ita loquar) synonyma, seu ejusdem generis: neque Pauli fides fuit vera, qua Epaphrodito ægrotanti sanitatem impetravit, *Philip. 2. v. 27.* nec Abrahamæ, qui eadem fide, qua justificatus est, *Genes. 15. Rom. 4.* etiam firmissimè, in spem contra spem, credidit, se in effocta senectâ, è sterili uxore susceptrum filium Isaac.

XV.

Argumento hoc omnes *quædãdum* instantiæ retundi possunt: Quæcunq; fides Christum pro vero Messia (promisso scilicet filio David & Domino suo) agnovit fiducia immotâ ejusdem potentiam & misericordiam amplexa est, nullis tentationibus succubuit, petitione suam à throno gratiæ abundè impetravit, simulq; magnæ, hoc est, laudabilis & admirabilis fidei præconium reportavit illa nec cum fide demonum, nec cum cæca persuasionem creduli & superstitiosi vulgi confundenda est: Fides mulieris Chananaea talis fuit, Ergò.

XVI.

Nos igitur non pudeat, non dico in pietatis communionem admittere sceminam hanc laudatissimam, sed potius ab eadem discere artificium summè necessarium, quomodo adversus omnes tentationes, de particularitate gratiæ Dei & indignitate nostra, sive propriæ carnis suggestionem, sive aliunde objectas, fortiter stare, hoc est, magnâ fide misericordia Altissimi & promissionibus universalibus niti debeamus.

a.
De solida consolatione dubitationi de salute apponenda.

XVII.

Sunt, qui particularem electionem ad vitam æternam ita definiunt, quasi Deus absoluta quadam voluntate, paucos quosdam, ex universo genere peccatorum, ordinaret, & per Filium redemerit ad vitam, reliquis omnibus, non ex intuitu futuræ impoenitentiae ac incredulitatis eorum, sed absoluto quodam odio & decreto, ad inevitabilem perditionem efficaciter destinatis.

XVIII.

Horum axiomata sunt: Nunquam voluit Deus omnes homines salvos fieri in CHRISTO JESU: Nunquam venit CHRISTUS ad salutem omnibus vel offerendam vel promerendam, multò minùs pro omnibus & singulis passus est: Tantùm ad electos gratia Evangelica, meritum CHRISTI, promissiones remissionis peccatorum & salutis, pertinent.

XIX.

Ab iisdem tamen si quæras, an ullus homo de salute sua desperare debeat? an possit is, qui verâ fide Christum & verbum promissionis amplectitur, certus esse de salute & æterna sua prædestinatione ad salutem: magnâ *καρτερία* illud negant, hoc verò affirmant.

XX.

Et videntur quidem hæcenus super hac sollicitudine, piè & utiliter consulere, quatenus protestantur, *non ex abisso voluntatis occulta, aut primis causis electionis, sed ex fundamento Electionis, Christo, & ex revelato Evangelio, certitudinem petendam esse.* (Otto Casim. in Lucta peccat. cap. 5. sect. 4. pag. 98.)

XXI.

Quia autem voluntatem beneplaciti, non modò voluntati signi opponunt, sed plusquam arctè constringunt, omniaque Evangelica beneficia tantùm ad paucitatem absolutè electorum coarctant: tandem omnis probatio & demonstratio ad sensum domesticum, ad internum testimonium Spiritus sancti (ut vocant) recidit: quod quia in tentationibus gravissimis de indignitate & particularitate maxime deficit, vel later, destituit hominem consolatione & certitudine, eo ipso tempore, quo hujusmodi firmamentis, adversus desperationem, imprimis opus habet.

XXII.

Quando enim illi ex suis adytis summam consolationis ad hoc quasi centrum reducunt: *In quocumque Deus per operationem Spiritus sancti*

sancti verè exsequitur decretum sue electionis, adhibitis mediis, quibus solis ab electione devenire potest ad finem ejus, nempe aeternam salutem, tanquam propriis electionis effectibus consequentibus, & electorum adjunctis: Is profecto electus sit à Deo in Christo ad salutem, necesse est. (Casman. dicto libro, cap. 5. sect. 5. pag. 103.) Subsumere cogitur tentatus (cui vel cor vel Satanas objicit, qualia Cananæa experta est: non sum missus tua causa, tu es canis, imperus pravarum cupiditatum carnis tuæ, frequentes lapsus, oscitantia in exercitiis pietatis, tam graves afflictiones & adversitates, hæc ipsa dubitatio tua certum argumentum sunt, Deum irasci tibi, tanquam vasi iræ, in quo immutabilem suam justitiam declarare decrevit) subsumere, inquam, cogitur: Ego talem executionem in me jam non experior, Ergò non sum ex Electorum & salvandorum numero.

XXIII.

In fumum abeunt omnes illæ Apodixes, omnes illæ subsumptiones, quas cum alii alibi, tum Casmanus sect. 6. tentatæ conscientiæ magno numero suggerit: Cum, salvis principiis Calvinianis de absoluto decreto reprobationis, de particularitate voluntatis misericordis, de voluntate arcani beneplaciti, de fide temporaria, &c. neutra præmissarum solidè consistere queat.

XXIV.

Quod si tentatus, vel ad fidem antehac in se deprehensam, vel ad spem, deinceps futuro tempore, concipiendæ fidei confugere velit: illic terriculamentum de temporaria fide, quam nunquam veram esse vel fuisse contendat; hinc particularitas argumentationis, soliditatem elidit.

XXV.

Aliter enim ratiocinari haud licet, quàm hac forma: Quosdam vult Deus salvos fieri: quosdam absolute prædestinavit ad vitam, quibusdam misit Filium Redemptorem; quibusdam vult Spiritum sanctum & fidem donare; quosdam vult conservare usque ad finem: Ergò me quoq; gratiâ suâ dignabitur.

XXVI.

Hic etiam si Stentor quispiam millies ingeminet: *Si maxime duo tantum ad Electionis gratiam, & ad numerum salvandorum, pertinerent, nihilominus tibi videri debes alter ex illis duobus:* tamen Logica rationis verè regeneratæ aliter judicare nequit, quàm quòd ex puris particula-

ribus nihil, nedum tanta certitudo, sequatur, quæ Satanae, legi, morti & inferno opponi queat.

XXVII.

Quæ ipsa subductio tantò est periculosior, quantò longius iste, qui talibus cogitationibus exagitur, abest à pomceriis Ecclesiæ veræ, à fruitione ministerii Evangelici & Sacramentorum. Talem enim ceu tonitru, ferit vox: *Non sum missus, nisi ad oves, &c.* Te nondum dignatus est Deus suâ vocatione & alloquio, quid ergò de Electione, de vivificatione spiritus, & de ipsa salute, præsumere audes?

XXVIII.

vera spiritualis
Nihil igitur tranquillam reddere potest mentem, vel sensibilibiter aliquam fidem non percipientem, vel de fidei præsentis perpetua duratione anxiam, quam magna illa fides, quæ certò, hoc est, non humana opinione, sed perspicuis testimoniis persuasa est, Deum *in oves* omnium hominum salutem seriò velle, & *Timoth. 2.* misisse Filium suum omnibus, *Joh. 3.* eundemque sanguinem fudisse pro omnibus, & *Joh. 2.* Evangelium omnibus annunciare remissionem peccatorum per fidem in Jesum Christum; Verbum, Sacramenta, Spiritum sanctum & fidei donum, nulli ex absoluto quodam affectu denegari: imò nullum excludi misericordiæ hujus cœlestis fruitione, nisi eum, qui sponte sese & perseveranter ab illa everit.

XXX.

oij
Tali objecto subnixa fides Chananæa eluctata est. Quamvis enim fides illa pro præsentis, circa corporale beneficium potissimum occupabatur, quod non nisi cum reservatione voluntatis divinæ, expectari potuit: tamen perinde, ut fides justificans & salvans, persuasissima erat, misericordiam CHRISTI, ut omnibus aliis ad se cum fiducia confugientibus, ita sibi quoque, in omnibus animæ & corporis necessitatibus, præsentibus & futuris, paratissimam esse, ad salutarem & veram felicitatem, etiam si ad tempus istam suam intentionem celaret.

XXX.

Talem fidem ut retineamus, seriò debemus abhorrere, cum ab absoluto decreto reprobationis, ceu Lerna malorum, tum ab omnibus illis glossis & sophismatis, quibus manifesta vis inferitur testimoniis scripturæ, tam perspicuè de universali misericordia DEI, *Ezechielis cap. 33. vers. 11. Rom. 11. vers. 32. & Timoth. 2. vers. 4.* de redemptione universali, *Tit. 2. vers. 11. Esaiæ 53. vers. 6. Roman. 5. vers. 18.* de uni-

verſalivocatione, *Matth. 28. verſ. 19. Matth. 11. verſ. 28. Actor. 17. v. 30.*
ſonantibus.

XXXI.

Nos ſanè ipſimet, ne homo cæca perſuaſione ſibi pulvinar ſecuritatatis conſuat, jubemus quemlibet in ſe deſcendere, ſuamq; fidem & pœnitentiam quotidie explorare, juxta illud Pauli: *Vos ipſos tentate, an ſtetis in fide, 2 Corinth. 13. verſ. 5. & Johannis. 1 Joh. 5. verſ. 10.* Sed ſemper hæſitationes, vel de infirmitate aut perſeverantia præſentis fidei, vel de omnimoda denegatione adhuc deficientis, compellimus conſideratione fidelitatis Dei, ad quam nos Spiritus ſanctus revocat, *1 Corinth. 1. verſ. 9. 10. verſ. 13. 1. Theſſal. 5. verſ. 24. 2. Theſſal. 3. verſ. 3. Hebr. 10. v. 23.* Fidelitatis, inquam, quæ omnia ad finem uſque præſtat omnibus, qui in pedagogico uſu mediatorum ſuum officium non negligunt, quæ que jam dudum univerſalibus promiſſionibus, morte Chriſti pro omnibus, miniſterio Evangelii omnibus deſtinato, communicatione Sacramentorum, promiſſione de exauditione precum, abundè nobis demonſtrata & confirmata eſt.

XXXII.

Unde, qui in ſtudio, circa media ſalutis, nondum quicquam ſentit gratiæ cœleſtis, ab illa univerſali & infallibili benevolentia Dei multò opulentiorem conſolationem lucratur: quàm qui pro præſenti quidem guſtat virtutes futuri ſæculi, ſed ſemel perſuaſus eſt, cum pauciſſimis Deum ſeriò & perſeveranter agere, quæ ad ſalutem pertinent, & fidem (fidei electorum ſimilem), tamen ex decreto Dei tandem in plurimis deficere oportere.

XXXIII.

Quomodo enim ſolo ſenſu homo veram & temporalem fidem diſcernet: cum etiam de temporaria fide ex ſcholis adverſariorum perſuaſus ſit, eam magnam habere ſimilitudinem cum fide Electorum, qui eam habent, eos videri ſibi electos & ſentire præſentem miſericordiam Dei, guſtare bonum Dei verbum & virtutes futuri ſæculi, hæc, omnia interdum majora habere, quàm vere electos? (referente Bertio in Hymenæo Deſertore, pag. 60.)

XXXIV.

Ut ad Chanaanam noſtram redeamus, certum eſt, illam hoc tempore petiſſe & impetraſſe auxilium prorsus extra ſuas filia que vires poſitum, adeo que à ſola divina gratia & potentia Chriſti in ſolidum conſectum. Neque enim vel ipſa vel filia laborabat in ejiendo

de vitanda ſecuritate

*An vox ad-
juvandi præ-
ſupponat ho-
minis coope-
rationem.*

dæmonio, virib. fortè insufficientibus, quæ tamen superare valent, si adventitio subsidio corroborarentur: sed Christi gratia tam fuit sola liberatrix, quàm filia obsessa sola liberata fuit.

XXXV.

Nihilominus supplex illa femina orationem suam verbo ADJUVANDI, *Polleamus*, expressit: unde parata est instantia ad infringendam universalitatem axiomatis Pontificii: *Solus is juvari dicendus est, qui laborat in agendo, non vero is, qui nihil agit* (apud Bellarm. De gratia & lib. arbitr. lib. 6. cap. 10. col. 675.)

XXXVI.

Interest enim, ut fundamentum hoc evertatur, quo audent Adversarii libero arbitrio, seu viribus humanis vindicare cooperationem in operibus piis & salutaribus propter dicta, *Psal. 27. v. 9. 70. v. 2. Rom. 8. v. 26.* (Vide Bellarm. ibid.)

XXXVII.

Quæ tamen loca, quia de regeneratis loquuntur, si maximè vocabulo adjuvandi & adjutorii peculiarem hanc emphasin indulgeamus, præsumptionem, non de propriis viribus hominis, de quibus quæstio est, sed de præveniente gratia, qua Deus etiam velle operatus est, *Philipp. 2.* pariunt.

XXXVIII.

Memorable est, quod ex Chrysostomo in Matthæum ipse Antonius de Gislandis, dub. 33. fol. 152. annoravit: *Quod intercessores (videlicet discipuli) non impetrarunt, id postea ipsa Mulier rogatibus suis impetravit: quia Christus pro nostris noxis M A G I S vult rogari à nobis, ab quàm alius pro nobis.*

XXXIX.

Contra verò ex Papistarum sententia Pistorius scribit: *Admodum sancti hominis orationem plus valere apud Deum, quàm vulgaris Christiani* (In hodieporico, paginâ 241.) Et: *Deum nolle exaudire homines, nisi accurrant ad sanctos alios, & eorum pro se deprecationes efflagitent?* (Ibid. 243. pag.)

XL.

Quamvis autem, neque intercessores discipuli benignum responsum pro muliercula afflicta acceperint, neq; hæc ipsa suam causam patrocinio istorum intercessorum permiserit, sed potius, uti cœperat, proprio orationis & clamoris sui ariete, fores gratiæ tandiu pulsaverit, donec aperirentur: tamen hoc ipso exemplo tum illustrare

De interces-
sione Sancto-
rum pro no-
bis; eorum
invocatione.

de 7. A. 2. sup.

tum stabilem audent Papistæ invocationem Sanctorum, efficacissimam scilicet & dignissimam intercessionem eorum apud Deum superstructam.

XL I.

Sic enim Stapletonus in part. 3. Cathol. pag. 41. commentatur: *Intercessio hæc discipulorum pro muliere Cananæ a Christo prima vicinibus impetrante, exemplum esse potest invocationis Sanctorum, ut pro nobis apud Deum intercedant, cum a Deo consesim non exaudiamur: ad majorem videlicet fidei, patientiæ ac perseverantiæ nostræ probationem: sicut cum Cananæ Christus hic egit, tantisper eam exaudire differens, donec sepe atq; identidem clamasset, ipsiq; Apostolos, ut pro ea apud Christum intercederent, compellasset.*

XL II.

Contra quam accommodationem sequentia observari volumus, ¹Exempla per se nihil probant, sed tantum illustrant ea, quæ suis fundamentis certa sunt. ²Incertum est, an discipuli deprecati sint pro exauditione Cananæ, cum simpliciter *dimissionem* urserint, ut sonus verborum persuadet, ex impatientia potius clamoris, quam misericordia erga eam, quia *clamabat post eos*, ceu molesta, & ægrè ipsis faciens: ad modum istius cæci, *Luce. 18.* ³Unde clamare Post discipulos nondum præcisè est rogare intercessionem discipulorum.

XL III.

⁴In primis autem immensa dissimilitudo prohibet, ne admittamus consequentiam: Discipulos, ut & alios vivos fratres in societate Ecclesiæ militantis, licuit & licet interpellare de intercessione ad Deum: Ergo etiam Sanctos, hoc est, sanctorum animas, in coelis invocare debeat. Christianis enim vivis possumus exponere nostras calamitates & desiderium: Sancti in coelis ignorant nostrum statum in specie, neque ubiq; locorum nostras preces & suspiria cognoscere possunt. Christianos non invocamus, sed ab iis tantum expetimus officium charitatis: Sancti autem invocantur cultu soli Deo debito, supplice scilicet mente & fiducialiter, ita ut invocatores eorum meritis & suffragiis coram Deo nitantur, per palpabilem ignominiam, adversus intercessionem propitiatoriam unici nostri Mediatoris Jesu Christi.

XL IV.

⁵Similiter claudicat hæc subductio: Discipuli hi orarunt pro Chanana & confratres nostri, imò tota Ecclesia idem facit pro afflictis: Ergo etiam Beati coelites pro militantibus in vita temporali intercedunt ad Deum: Illud enim certum, sensibus obvium & divino præce-

pto mandatum est, *Jacob. 5. v. 16. Ephes. 6. v. 18. 19.* De hoc verò tantum
piè cogitare licet, quòd sancti pro nobis orent, ut Apologia Augusti
Confess. concedit. in genere videlicet. utpote particularium circum-
stantiarum prorsus ignari, *Esa. 64. vers. 16.*

XLV.

Certè Elias Propheta mandans Elifæo: *Postula à me, amequam à te
tollar, 2 Reg. 2. v. 9.* non obscure significavit, nihil à sanctis impetrari
posse, postquam à nobis ex hac vita fuerint ablati.

XLVI.

Plusquam puerite figmentum vocat Stapletonus, quòd discipuli fa-
stidiose audierint clamantem Chananeam. Quamvis autem non opus
sit scrupulosè disputare de affectu & intentione discipulorum, quã
tum foeminam persecuti sunt: tamen Jesuita de notoriis lapsibus &
imbecillitatibus discipulorum, etiam simili in genere (ut quando
Marc. 6. v. 35. dimissionem turbæ urgent, & x. 52. ex miraculo quin-
que panum nihilo doctiores perhibentur) prius cogitare debuisset,
quàm absurdum statueret, tam humilis ac mitis Magistri, ipsos quoq; pau-
peres, tam fastidiosos esse potuisse.

XLVII.

Perseverat quidem ille in opinione: *Sanctos in cœlis non minùs, imò
multo magis, idoneos esse ad patrocinium, quàm cum in terris viverent.* Sed
nihil efficit. Nam sumit sibi thesin nondum concessam, quasi sancti in
his terris unquam apud fuerint ad patrocinium coram Deo pro aliis.
Preces enim ex officio charitatis, ut modò dictum est, p̄ cum precib;
proximi affecti conjungunt: patronū autem inter homines in his ter-
ris, planè ut & patrem, *Matth. 23. v. 9.* querere non licet.

XLVIII.

Minùs autem idoneos nunc esse sanctos in cœlis, non dicam ad
reconciliationem nostram, sed ad interpositionem precum pro no-
bis, vel ex hoc unico constat, quia illos necessitates nostræ in parti-
culari latent.

XLIX.

Admonemus autem eosdem nasutulos, qui alienissimum judi-
cant ab omni discipulo mansueti Magistri, vel semel fastidiosum &
importunum esse: ut & illi ab eodè Magistro (cujus agnominem
præ se ferunt) discant clementiùs judicare & loqui de iis, qui Satanae
insultus, permittente Deo, interdum experiuntur.

L.

Erga hujus Chananae filiam, ut & alios multos à demonibus,
gravi-

5.
De consilio
Lutheri cum
Satana.

graviter obfessos, *Luc. 1. Matth. 8. Marc. 9.* magna commiseratione ferebatur Salvator noster, neque per ullum hujusmodi exemplum Biblicum integrum est, ab ipsa obfessione ad reprobationem & detestationem hominis miseri concludere. Etiam D. Paulus organum electum gratiæ mansit, *Actor. 9. vers. 15. 2 Corinth. 12. vers. 9.* cum à Satanæ Angelo colaphizaretur.

L I.

Ast B. Lutherus, postquam semel ingenuè professus est peculiaris suas tentationes, quibus ipsum Diabolus, super exterminatione Missæ privata, acriter exagitavit: ceu mancipium mendacis illius spiritus traducitur per totum orbem Christianum, etiam nunc, postquam victoriâ laudabiliter reportatâ, & Satanâ sub pedes contrito, in cœlis triumphat. Nonne ex Pharisaica schola hunc zelum didicistis, Lojolani, ut dæmonem habere pronuncietis illum, cujus spiritui & veritati resistere haud potestis, *Luc. 11?*

L II.

Certè longè majorem familiaritatem & cognationē vestram, cum Beelzebub & exercitu ejus, prodit ista antiquissima & perpetua colusio, qua spiritus isti nocturnis apparitionibus, spectrorum phantasmatis, querelis, revelationibus, &c. nihil non egerunt, quod ad persuadendam simplici plebeculæ autoritatem traditionum Catholicarum, primatum Papæ, vim aquæ benedictæ, mysterium Myssæ, purgatorii cruciatu, dignitatem Mariæ Virginis & sanctorum coram Deo, virtutem reliquiarum & similia alia pertinere, aut quicquam facere videbatur.

L III.

Interim audire vultis principales Zelotæ in oppugnatione Satanæ, propter exorcismos, imaginem crucifixi & Divæ Virgininis, signum crucis & reliquias, quas ceu caput Medusæ, obvertitis hostili illi Draconi. Rectius autem faciunt nostri, qui ex Panoplia Pauli, *Ephes. 6.* hanc ipsam fidem induunt, quæ in Chananæa obtinuit, quicquid voluit, contra Satanam & tyrannidem ejus.

L IV.

Talis enim fides est victoria nostra, quæ vincit mundum: quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Jesus est Filius Dei, *1. Joh. 5. vers. 4. 5.* Omnibus, qui credunt, datum est filios Dei fieri, *Johan. 1. vers. 12.* Quicumque autem ex Deo natus est, vincit mundum, *1. Joh. 5. vers. 4.* ideoque etiam principem ejus: eò, quod per fidem unicuique applicatur & appropriatur

6.
De armaturâ
adversus
Satanam.

priatur victoria ipsius Christi, quàm nostro loco caput serpentis anti qui contrivit, *Genes. 3. 1 Corinth. 15. vers. 57.*

LV.

7.
Christus quàm
filius David
adorandus.

Ejusdem victicis & verè magnæ fidei singulare opus & devotio erat, CHRISTUM, ut filium David, hoc est, ut filium hominis, religiosâ fiduciâ adorare: in qua fiducia etiam nos perseverantes, Dæni fulmen, quod adversus adoratores CHRISTI HOMINIS vibravit, nihil moramur.

Restant adhuc quedam corruptela peculiariter diluenda.

LVI.

8.
De Rosario
procul Ro-
manæ Ca-
tholicæ, um?

Tympius tum perseverantiam precû in genere, hoc illustri exemplo Chananææ conspicuam, & alibi diligenter præscriptam, *Rom. 12. vers. 12. 1 Thess. 5. vers. 17. Luc. 18. vers. 7.* tum ternam repetitionem ejusdem petitionis (ut & *Esa. 6. vers. 3. 2. Corinth. 12. v. 8. Math. 26. vers. 44.*) accommodat ad *Rosarium Romanensium*, hoc est, ad illam formulam orationis, in qua *quinquies*, cum qualibet Oratione Dominica, salutatio Angelica, AVE MARIA, conjungitur: unde in simplici Rosario quinquaginta compellationes Mariæ, vel in triplo, seu perfectiori devotione ter repetito, centum & quinquaginta salutationes, continuo sermone & demurmuratione, se invicem excipiunt. (Vide libellum, Germ. *Ceremonien warumb.* cap. 5. pag. 50. 55. 56. ubi scilicet mysteria istius rosarii operosè explicat & commendat.)

LVII.

Nos autem primò omnium exploratum habemus, cultum Rosarii idolatricum esse: quia¹ in ipso ardore invocationis ad Deum solum dirigendæ, hominis fiduciam, preces & invocationes abripit ad Mariam Virginem,² & quidem decuplo frequentius, quàm ad ipsum DEUM,³ per formulam verborum, quibus violenta detorsione intentio orandi extorquetur, quæ primo istorum autori nunquam in mentem venit.

LVIII.

Vel semel ita, cum fiducia meriti, intercessionis & auxilii, compellere D. Virginem, aut alium sanctum, idolatricæ abominationis obstringit conscientiam: multò potiùs, si quinquages & centies, imò infinitè, per omnem ætatem, interpellatio illa perpetuetur: unde
expli-

explicari vix potest, quàm graviter Deus precibus istis offendatur; quàm fœdè etiam sanctissima Orationis formula, ab ipso Christo dictata illis, qui in suo solius nomine solum Patrem coelestem filialiter invocaturi essent, hujusmodi assumento contaminetur.

LIX.

Quod cum ita sit, terna iteratio, veræ, fidelis, humilis & anxie orationis à Chanaanæ factæ, tam non quadrat ad trinam repetitionem Rosarii (adeo abominabilis scilicet) quàm accommodari nequit triplici tentationi Satanæ, qua is indefessa continuatione CHRISTUM Dominum in deserto adortus est, *Matth. cap. 4.* Vel etiam continuæ repetitioni Baaliticorum clamorum, à summo mare usque ad meridiem, *1 Reg. 18. vers. 26.*

LX.

Etiamsi autem de pia invocatione, ad solum Deum verum dirigenda, quæstio redintegretur, tamen ad certum & præscriptum numerum, ad similitudinem vel analogiam Rosarii Romano-Catholici, nemo adstringendus est: Cum nec ab opinione de dignitate operis operati, vel operis operantium, nec à superstitione, nec ab ostentatione multiloquii, *Matth. 6.* à Christo prohibiti, talis intentio, dogmaticè imposita, immunis esse queat.

LXI.

Veram repetitionem seu continuationem precum, dictat plerophoria fidei, accendit fervor spiritus, imperat necessitatis pertinacia & diuturnitas, invitat dilatio divini auxilii, persuadent dulcissimæ promissiones perseverantibus & patientibus propositæ, in primis verò requirit mandatum Dei, *Psal. 130. Luc. 18. 1 Thess. 5.*

LXII.

Quæ autem ad *divina precum* & Psalmodiarum publicarum vera Ecclesia ex libertate Christiana sancit vel suscipit; pro ratione circumstantiarum, temporis, loci, coetus Ecclesiastici, juventutis, vel abrogat, vel de novo instituit. (*Exempli gratia*, frequentem repetitionem formulæ: misereri nostri, exaudi nos, libera nos Domine, & c. in Litanis; tergemina iterationem cantilenæ, Agnus Dei: vicissitudinem in Antiphonis & Responsorii usitatam, & similia) non sunt confundenda cum his superstitionis legibus privatarum precum in Papatu, in quibus, si quis ab initio esset ardor spiritus & plerophoria devotionis, tantò iniquius turbaretur in progressu, quantò

strictius ad præscriptum numerum & prolixitatem attendere superplex cogitur.

LXIII.

9.
Christus venit, & passus est pro omnibus hominibus.

Nunc occurrit responsio Christi, ab iniqua interpretatione vindicanda, quando ad discipulos dixit: *Non sum missus, nisi ad oves perditas.* Quam enim glossam fortè vidit & sensit, non tamen admisit Chanaanæ (hac ipsa ratione tam nobis ad salutarem instructionem, quam sibi & filix ad impetrandum auxilium, & ad Christum sua fide quasi circumvallandum & superandum, optimè consulens) quasi videlicet Christus in primo & gratioso suo adventu, non venerit ad salutem & redemptionem omnium hominum: eam qui mordicus tenerent, nostræ ætate iaventi sunt (alleg. Schafman. de prædestinat. part. 2. libr. 1. cap. 17.) Utpote quam (illorum quidem sententia) perpetua praxis providentiæ divinæ confirmet, quæ omnibus seculis, non omnibus ubique populis, sed certis regionibus & civitatibus, ministerium Evangelicum sinceræ religionis donârit; eo ipso demonstrans, quòd illorum salutem non præordinârit aut voluerit, quibus hoc pacto revelationem verbi sui salvifici denegat.

LXVI.

Verùm huiusmodi explicatio præsentis loci tam palpabiliter absurda est, ut plerique ex societate illorum, alioqui eandem thesin de absoluta multorum reprobatione, de paucorum redemptione & vocatione, propugnantes, tamen ab horum verborum abusu alienissimi iaventantur: nominatim Marloratus, qui non solum asseverationis & tergiversationis Christi prorsus eandem nobiscum rationem reddidit, sed etiam expressè affirmat, *non solos electos, sed universam posteritatem Abrahamæ, per perditas oves* notari. (In Comment. ad versic. 24. Matthæi 15.)

LXV.

Quis enim non videt, si ve oves perditis hircis, nempe reprobis, in ipso populo Israëlítico opponas, si ve cum Marlorato omnes Israëlitas secundum carnem pro ovibus perditis habeas, omnes gentes adeoque hos ipsos interpretes crudos (ut qui non ex semine Judaico, sed ex gentibus incircumcisis orti sunt) à communionem CHRISTI & participatione salutis, excludendos esse, si prædicta glossa veram sententiam exprimeret.

LXVI.

Videtur quidem patere hoc effugium: per Israëllem posse, non
sanguis

sanguinis, sed fidei *verbo* intelligi. *Rom. 2. vers. 29. cap. 4. vers. 11. 17.* quo sensu electi gentiles non excluduntur, sed includuntur: Verum hac ratione in verbis Christi nulla amplius esset denegatio vel tergiversatio, quam tamen *scopus Christi ostendit*, & communiter omnes interpretes agnoscunt.

LXVII.

Certum igitur est, non simpliciter (aliàs nec Christo nunc in partes Tyri & Sidonis, nec postea Apostolis ad omnes gentes exeundum fuisset) sed *ex parte*, & certis quibusdam respectibus, Christum non esse missum, nisi ad *oves perditas Israël*, hoc est, ad solum populum Judaicum & posteritatem Jacobi.

LXVIII.

Isti respectus concernunt partim distincta officia Christi, partim ordinem, ex decreto Dei, cum progressu temporis, in prædicatione Evangelii observandum. Quoad officium Redemptionis & Salvationis, venit Christus toti mundo, omnibus populis & hominibus, pro quibus etiam sanguinem suum effudit, *Luc. 2. Joh. 1. 3. Tit. 2. 1. Timoth. 2. 1. Joh. 1.* In primis autem Lumen & expectatio gentium fuit, *Esa. 49. Genes. 49. Luc. 2.*

LXIX.

Quatenus autem simul concionari in propria persona, doctrinamq; miraculis confirmare, ad tempus, voluit, eatenus fuit *minister circumcisionis*, non præputii, *Rom. 15. v. 8.* debuit venire in propria, *Joh. 1. v. 11.* Seq; continere intra Judææ & Galilææ terminos, propter promissiones huic populo in Prophetis peculiariter destinatas.

LXX.

Atque hoc ipsum decretum erat, & impletum est, non cum absoluta exclusione gentium (aliàs Christo prorsus non licuisset conversari cum gentibus, nec ullum miraculum in illos conferre) sed hoc ordine; ut principaliter & primò inferviretur Judæis, postea demum paulatim prædicatione inde ad gentes quoq; transferretur, *Rom. 1. v. 16. Act. 13. v. 46. Esa. 2. v. 3. Matth. 22. v. 9.* Quæ prærogativa ut Judæis, ceu domesticis Messie, & filiis regni, integra maneret, imò (ad interceptandam illorum excusationem) toto orbe illustris evaderet, tantum raris quibusdam & extraordinariis miraculis benefecit gentibus, & suorum quoque Apostolorum ministerium ante passionem in finibus Judææ circumscriptis, *Matth. 10. v. 5.* donec tempus universalis patefactionis, *Matth. 28. Marc. 16.* adventaret.

LXXI.

Quòd autem non ubique locorum sinceri Evangelii publicum ministerium Deus semper conservat, illud nequaquam evincit particularitatem vocationis, quasi Deus nolit omnes ad communionem Evangelii & fructuosam ministerii participationem admittere: sed tantum sapientissime admirabilem & admirabiliter sapientem Oeconomiam Altissimi illustrat, qua sanctos suos ducit, *Psalms. 12.* atq; universum mundum gubernat, *Sapient. 11. & 12.* Ita tamen, ut ne ad latum unguem, à patefacta voluntate universalium promissionum, vel à justitia sua, recedat.

LXXII.

Discernendum enim est inter patefactionem ipsam, quæ universalis est, atque in sacris literis omnibus proposita: & inter modum patefactionis quasi specialioris, qui secundum liberrimum arbitrium Dei, & secundum hominum vel obedientiam vel inobedientiam, ut & variis ex causis & circumstantiis aliis, subinde, justè & sapienter variat.

LXXIII.

Postquam Deus luculenter protestatus est, se nolle mortem peccatoris, *Ezech. 33.* velle, ut omnes laborantes & onerati ad se veniant, *Matthæi cap. 11.* velle, ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant, atque ita salvi fiant, *1 Timoth. 2.* præterea etiam tribus vicibus universo mundo verbum suum, quasi de manu in manum, propiùs communicavit, in primis parentibus & horum familiis; in familia Noë post diluvium; & post Ascensionem Christi per ablegatos Apostolos in universum mundum: Etiam si ratione modi & processus propagandi & conservandi publici ministerii altitudo sapientiæ cœlestis omnè captum nostrum transcendat, *Rom. 11.* tamen de universali misericordia & promissionibus dubitare non licet, sed potiùs æquum est, ut omni studio, per saxa, per ignes, media salutis ordinaria humiliter, patienter & constanter perquiramus.

LXXIV.

Liberè nonnunquam extraordinaria quædam adspersit Deus (revelatæ autem voluntati nullatenus adversantia) quæ ut non promissit, ita nec debet omnibus, *Genes. 12. Actor. 9. Ion. 1. & 3. Luc. 23. Sapient. 4.* Sæpe etiam à *diversis* variæ causæ, ex parte hominum, justè movent, quæ nos profus latent: unde judicia Dei, diversimodè cum diversis populis & hominibus, hac in parte agentis, admirari potiùs & ve-

& venerari humiliter, quàm scrutari, aut in absoluti odii suspicionem trahere debemus.

LXXV.

Non ferimus ita ratiocinantem : Huic *vel illi* pàgo & civitati non misit Deus medicum. Ergò beneficium medicinæ ad illos non pertinet : In hac regione vel vinum, vel piper, vel argentum & aurum, vel sericum, &c. non pronascitur. Ergò voluntate Dei creatoris, à quo omne bonum, *Jacob. 1.* fruitio hujusmodi donorum ad illius regionis incolas profus non pertinet : Et nos, in rebus longè sublimioribus, contra attestationem patefacti verbi, & carnificinam nostrarum conscientiarum, feramus illam subductionem : Turcis, Hispanis, & Italis, Deus nostra ætate non mittit Orthodoxos Doctores Evangelii, Ergò, ab agnitione Christi, & à ministerio Evangelii absoluto decreto Dei, sicq; ab ipsa salute, exclusi sunt?

LXXVI.

Quicumque populi carent publico præconio Evangelii, propria culpa, pertinaci malitiâ, & inveterato odio, carent : quod aliàs omnes populi, vel olim semel datum retinere, vel adhuc recuperare, *omnino*, longè faciliùs possent, quàm nos piper, atque alia aromata ex India Orientali ad nos deportamus.

LXXVII.

Alio adhuc modo Calviniani nostro textu abutuntur : Ursinus enim in Catach. pag. 593. (referente Dn: Eccardo, in Fasc. contro.) ita argumentatur : *Non est honestum panem filiorum objicere canibus ; Corpus Christi est panis filiorum, & impii sunt canes. Ergò, indigni seu increduli, in sacramento cœnæ, non participant corpus & sanguinem Domini, sed tantum symbolum panis.*

LXXVIII.

Planum autem est, committi Elenchum secundum plures interrogationes : Nam diversæ quæstiones sunt, primò, *Quid obijciendum sit impiis scienter ?* Ubi respondemus ipsimet, ad sacramentum cœnæ non esse admittendos impenitentes & pertinaciter improbos, juxta *Matth. 7. v. 6.* Deinde : *Quid participant impii, si exhibeantur sacramenta, vel ipsi ad horum usum admittantur ?* Ubi Paulus respondet, manducate ipsos talem panem, qui est communicatio corporis Christi, hacque manducatione ipsos reos fieri ipsius corporis Christi, *1. Cor. 11. v. 29.* Cui tam perspicuæ & Apostolicæ asseverationi refragari per captiosas ratiunculas non decet. Et quis negaverit, etiam canes panem, licet

*indignus est ad manducandum
Dm in s.c. d. 20. tr. p. 221*

immeritò objectum & filiis ereptum, verè comedere? Præterea canes in nostro Evangelio, non impios in gremio Ecclesiæ, ubi sacramenta administrantur, sed omnes infideles extra Ecclesiam, repræsentant.

LXXXIX.

Certè indigni convivæ cœnæ Dominicæ, ¹ instrumento perceptionis ore videlicet, non destituuntur, ² nec indignitas sumentis evertit integritatem ipsius sacramenti, quam panis & corpus, vinum & sanguis Christi, conjunctim seu sacramentaliter unita, non sola symbola externa constituunt, ³ Judas quoque proditor, cum reliquis Apostolis comedit & bibit, ⁴ ut & pro indignis corpus Christi traditum, eiusdemq; sanguis effusus est, *2 Petr. 2. Hebr. 10.*

LXXX.

Verùm, ut paulatim ad finem prospiciat hæc nostra velitatio, circa ultimum versiculum Evangelii, duo adhuc consideranda veniunt.

LXXXI.

10.
Num aliena
fides salvet?
si peccatibz
Act. 6. 7. 16.

Prius refert Centuria Magdeb. 12. col. 844. quòd Bernhardus super Cantica, serm. 65. & 66. in disputatione contra Apostolicos, per exemplum fidei tantopere in Chananæa deprædicatæ demonstrare voluerit, Etiam alienam fidem conferre salutem, ideoque etiam Infantes, sine propria fide, in fidem Ecclesiæ baptizari. (Vide etiam Ant. de Gisland. dub. 32. fol. 152.)

LXXXII.

Sed plus infertur in consequente, quàm antecedens permittit: Aliqua beneficia munificentia divinæ potest aliena fides impetrare, ut hoc loco magna fides Chananææ sanitatem filia exoravit. E. omnia: etiam augustissimum illud beneficium æternæ gloriæ, quod tamen non, nisi credenti in Christum Jesum, promissum est.

LXXXIII.

Primò enim, magna est differentia inter dona salvifica gratiæ (præsertim quoad eorum salutarem applicationem) & inter dona temporalia, quæ quasi adjectanea sunt, & à generali misericordia Dei interdum etiam ad filios hujus seculi non renatos promanare solent: unde etiam per incredulitatem & impietatem alienam sepe fit, ut liberi in tertiam & quartam generationem, privationem corporalium quorundam bonorum experiantur.

LXXXIV.

At spiritualium beneficiorum Christi Mediatoris, & Evangelii proprie-

proptiorum. participatio absque propria fide fieri nequit, *Hebr. 2. v. 4. cap. 11. v. 6. Mart. 16. v. 16.* unde quorum infantum Christus ait esse regnum cœlorum, *Marc. 10. v. 14.* eosdem etiam pari ratione, ut adultos, nempe per fidem, introire in regnum cœlorum, *Marc. 10. v. 15.* & credere perhibet, *Matth. 18. vers. 6.*

LXXXV.

Deinde, ut aliena fides amicorum Dei, interdum beneficiorum spiritualium oblationem, bap̄tismi, cœnæ sacrosanctæ, fidelis institutionis, &c. collationem impetret: tamen fruitio & fructuosa applicatio cessat, donec propria fides interveniat: planè, ut cibum alteri præbere & impetrare potest, alere autem eundem, nisi ipse comedat, charitas proximi non potest.

LXXXVI.

Imò fidem ipsam aliena intercessio ad Deum, ex vera fide profecta, interdum impetrare valet: ut autem quispiam, absque propria fide, regeneretur, adoptetur, justificetur & salvetur: ut hic baptizetur, alius verò pro hoc baptizato credat ad salutem (ut Papistis placet) fieri nequit. Proprio corde creditur ad justitiam, *Rom. 10. v. 10.*

LXXXVII.

Denique non tam facilè indubitanis documentis demonstratur, quàm assumitur, quòd ægrota filia Chananæa prorsus omni fide propria caruerit.

LXXXVIII.

Alterum, adhuc circa fidem Chananææ notandum, subjicit disputatio Stapletoni, In Cathol. part. 3. paginâ 43. quâ enixè hoc agit, ut illam à fidei descriptione in nostris Ecclesiis recepta dissimilimata efficiat.

LXXXIX.

Ita autem disserit: *Quæritur, an hæc mulier hujusmodi fidem habuerit, qua generales Dei promissiones, quòd credentibus in eum per Christum propitius sit, unusquisq; sibi in particulari applicat, certòq; credit, quòd sibi peculiariter Deus propitius sit? Et negativè respondet: Certissimè constat, Chananææ fidem nihil simile aut affine habuisse.*

XC.

Nos provocamus ad omnem pium Lectorem, qui signū bestię Antichristianæ nondum in fronte gerit, an non omnes circumstantiæ hujus historiæ id loquantur, quòd Chananæa persuasissima fuerit, & cum heroica victoria adversus omnes tentationes contrarium minantes

12.
An fides Chananææ sibi peculiariter applicaverit promissiones de Christo?

nantes, persuasissima manserit, Christum sibi credenti, & ex magna hac fiducia constanter supplicanti propitium fore.

XCI.

Persuasã fuit, Christum hunc Filium David, hoc est, Messiam & Salvatorem esse, cui in manu esset, animabus & corporibus salutem adferre, etiam quibuslibet, & quamlibet indignis. Hoc agnovit & firmo assensu amplexa est, hoc inconcussa fiducia expetivit & constanter rogavit donec assequeretur. Nunquid aliud nos in fide Christiana, quoad substantialia, requirimus?

XCII.

Ait Jesuita: *Laudavit Christus in Chanaanæ fidem, non cujus obiectum aliqua promissio, aut generalis aut specialis, illi facta, esset, sed quæ circa ipsum Christum ejusq; admirabilem potentiam tot antea miraculis probatam & insignem beneficentiam ac bonitatem tam multis erga alios beneficiis, compertam versabatnr, pag. 45.*

XCIII.

Item: *Fidem sanè habuit, eamq; magnam, non qua VILIS promissionibus in verbo nitebatur, sed quia de Christi potentia, virtute, bonitate, firmissimè conceperat, pag. 43.*

XCIV.

Respond. Malè hîc opponit Jesuita, alterumq; per alterum negat, quæ tamen reipsa idem sunt, videlicet promissiones de Christo, & Christum ipsum, hujusq; potentiam & bonitatem per promissiones manifestatam. Certè, qui Christum ejusq; bonitatem & potentiam coràm amplexus est suã fide, idem obiectum apprehendit, sibiq; peculiariter applicavit, quod alius, qui Christum nunquam vidit, promissionibus tamen, seu præconio de Christo ejusq; beneficentia, fidem adhibuit.

XCV.

Unde frustra, licet inprimis, hoc urget: *Verbum & promissiones rîm penes Judæos Solos erant: harum penitus ignara fuit Chanaanæ extra fœdus populi Dei, quomodo ergò sibi applicare potuit generales promissiones, quas ignorabat, quæ ad illam non pertinebant?*

XCVI.

Non enim vel in sola litera scripturarum extabant, vel in Synagogis Judæorum rectius sonabant promissiones de Christo, quàm in ejus concionibus & miraculis. Itaque innotescere potuit Christus Chanaanæ, vel verbum & promissiones de Christo, etiam per con-

stantem famam de doctrina & miraculis ejus; Spiritu sancto qualem-
cunque hanc noticiam mirificè ipsa (præsertim in schola crucis con-
stituta) accendente & confirmante: planè ut adhuc idem verbum pro-
missionis est, quod docti in codice Biblico legunt, & præcones Evan-
gelii è cathedra docent, atq; idiotæ, etiam per familiaria colloquia pa-
rentum & aliorum piorum addiscunt: Nisi fortè negandum sit, ad ca-
ptivum quendam (in Turcia) promissiones de Christo nullas perve-
nire, qui nec legere scripturas, neque publicos congressus Christiano-
rum frequentare potest, sed tantùm ea audit, quæ familiariter ei ex
verbo Dei & concionibus Christianorum renunciantur.

XCVII.

Veram igitur Christi noticiam, certum assensum & immotam
fiduciam, habuit hæc mulier, licet non tam amplam, aut secundum
omnes quæstiones Christianismi explicatam, ad qualè veterani Chri-
stiani per quotidiana exercitia pietatis adolefcunt. Possè autem ean-
dem fidè, ratione doctrinæ Evangelicæ adhuc obscuriusculam, tamen
propter invictum robur in præsentis suo officio, magnam esse & planè
heroicam, antehac quoque Domin. 3. Epiph. dictum est.

DISPUTATIO X.

DOMINICA
OCULI,

Luc. II. à vers. 14. usque ad 28. inclusive.

I.

Ræcedentia duo immediatè ter-
tium exemplum hac dominica excipit, quo Diaboli
malitia, insidiæ & tyrannis adversus genus huma-
num iterum proponitur: præcipuè autè incredibili
potentia illius ostenditur, qua, permittente Deo
in animam & corpus grassari potest, obsidendo &
torquendo miseros, blasphemando per linguam, om-
nia membra in obsequium suum trahendo: unde ut princeps, vers. 15.
ut armatus, vers. 21. ut regnum possidens, vers. 28. ut Satanus seu adver-
farius,

farius, *vers. 28.* ut stipatus satellitibus & sociis pessimis, *vers. 26.* ut sollicitus in asserendo suo dominio, præterea tam impudens, qui etiam aliquoties repulsus redeat, *vers. 24.* introducitur.

II.

Cum igitur propter nostra hæc ultima tempora dictum sit: *Ua incalis terra & maris; nam descendit Diabolus ad vos, ira magna plenus, ut qui sciat, se modicum tempus habere, Apoc. 12. vers. 12.* Intelligimus, monitu horum trium Evangeliorum, cuiam tot calamitates horum temporum acceptas referre debeamus; in quanta miseria & periculis versemur; ad quem Victorem Satanæ, fide & precibus confugiendum sit; quamque vigilanter vitanda sint omnia, quibus Satanæ propius, aperta quasi via, allici queat.

III.

I.
De obsessis à
Diabolo.

Nunc præcipuè de obsessione hominum, qua inhabitantis Satanæ tyrannidi (quatenus quidem Deus permittit) interdum subiiciuntur, pauca cæteris circa hoc Evangelium tractandis præmittam, quæ quidem Christianam noticiam, vigilantiam, & consolationem necessariò spectant.

IV.

x. *vi. q. 2. de l. q. c. 2.*
27. 28.

Piis quidem strenuo zelo adversus hæreses & scelera ardentibus, nonnunquam per calumniam obsessio objicitur, *Job. 8. v. 48. Act. 26. vers. 24. 2 Reg. 9. v. 11.* Inveni etiam sunt, qui Satanæ obsessionem tragicam fictitio schemate simularunt: verum missis hisce, quæ ex meris figmentis consuta sunt: duæ revera sunt species obsessionis diabolicæ: Velenim *spiritualiter, vel corporaliter*, hominem obsidet Satan, quamvis uterque; modus non raro in eodem subjecto, concurrat.

V.

Corporalis
obsessio.

Ad corporalem obsessionem ferè pertinent exempla sacrarum literarum, in quibus miraculosa ejectio dæmoniorum, Christo & Apostolis adscribitur, *Math. cap. 8. 15. & 17. Marc. 5. & 9. & 11. Act. 16.* qualia etiam nostra tempora experta sunt: quando nimirum Satanæ vel corpus miserè torquet, vel eodem, ceu proprio habitaculo & organo, tam evidenter utitur, ut ex eo loqui & oracula edere deprehendatur.

VI.

Spiritualis
obsessio.

Spiritualis obsessionem vocamus, quando Diabolus per & propter peccatum in filiis incredulitatis efficax est, *Ephes. 2. vers. 2.* eorum mentes excæcat, *2 Corint. 4. v. 4.* captivasque ducit, secundum placitum suum

suum, *2 Tim. 2. vers. ult.* unde & mancipia peccati, *Job. 3. v. 34.* & filii Satanæ, *Job. 3. v. 41.* *Job. 3. v. 8.* vocantur.

VII.

Hoc modo, Satanas intravit in Judam, *Job. 13. vers. 2.* obsessi fuerunt omnes Pseudoprophetae, *1 Reg. 22.* obfidentur adhuc omnes impii, securè & malitiosè peccatis incumbentes: tantò graviùs, quantò pertinaciùs & diutiùs illi verbo Dei & ductui, tum Spiritus sancti, tum rectæ rationis, obnituntur.

VIII.

Et sanè gradus quidam est hujus spiritualis obsessiois illa miseria, in qua propter peccatum originale nati sunt, & hærent omnes homines carnales ante regenerationem: Ideò Christus ad hoc missus dicitur, ut opera Diaboli destrueret, *1 Johan. 3. vers. 8.* & per totum opus redemptionis liberavit nos, non solum à peccato, sed à potestate Satanæ, *Hebr. 2. vers. 14.* *Coloss. 1. v. 13. 2. v. 15.*

IX.

Hujus Victoris merito omnes per verbum & sacramenta regenerati, in fide liberi quidem sunt à spirituali illa obsessioe: ita tamen, ut cribrationi & tentationum insultibus obnoxii mancant, propter peccatum nondum radicitus extirpatum, contra quos in perpetuis excubiis & armis standum atq; decertandum est, dum vivimus, *Luce. 22. a Corinth. 12.* *Galat. 5.* *Ephes. 6.* *1 Petr. 5.* *Jacob. 4. v. 7.*

X.

Caro quidem nec videt, nec magni facit spirituales obsessioes, unde multi ex filiis seculi, qui exhorrent ad tristissima spectacula corporaliter obsessorum, vel etiam spectrorum nocturnorum; nihilominus diu & jucundissimè ferunt compedes, quibus ipsos Satanas gulae, ambitionis, libidinum, avaritiæ, contentionum & aliorum scelerum studio alligavit: sed revera corporali obsessioe longè gravior & periculosior est, ut quæ cum reatu æternæ damnationis, nisi per remedia divinitus ordinata, in hac vita liberatio obtingat, certò & per se conjuncta sit, quod de corporali, quâ tali, metuendum non est.

XI.

Hæc enim, ceu gravior particula crucis, ex paterna visitatione Altissimi, sæpe accidit iis, quorum fides & pietas indubitata fuit apud fratres Christianos, quique vel sub ipsis paroxysmis tormentorum corporis, vel per intervalla remissionum, spiritualibus armis verbi, sacramentorum, precum, patientiæ & spei, adversus Satanam viriliter pugnanti;

*Spiritualis
obsessio per-
iculosissima
est.*

pugnant; vel ad minimum post liberationem verà fide beneficia accepta agnoscunt & prædicant, *Luc. 8. v. 39. 19. vers. 13.* quemadmodum etiam de conversione & salute eorum, quos Christus ex hujusmodi vinculis Satanæ expedit, nihil dubitatur.

XII.

Spiritus, qui impetravit, ut Jobi patientissimi tum liberos enecaret, tum corpus ulceribus affligeret, *Job. 2. ut septem sponfos Saræ trucidaret, Tob. 3. v. 8. ut Paulum colaphizaret, 2 Cor. 12. ut Apostolos cribraret, Luc. 22. ut foeminam 18. annos incurvaret, Luc. 23.* Idem facillè nonnunquam, licèt rariùs, impetrat à Deo, ut electorum membra vel omnia, vel aliqua torqueat, corpusq; obsideat.

XIII.

Consolatio-
num fontes
pro obsessis
corporaliter

Quo in casu non destituuntur, consolatione Evangelica: ¹ Adherent enim Christo, qui contrivit caput serpentis antiqui, ² liberati sunt ab æterna tyrannide Diabolorum, ³ agnoscunt ex odio Diaboli, se filios Dei esse. ⁴ conformes fiunt Christo, qui Satanæ insidias probè expertus est, *Matth. 4.* ⁵ qui in infirmitate potens est, *2 Cor. 12.* ⁶ novitq; suos ex tentationibus eripere, *2 Petr. 2. v. 9.* ⁷ Sciunt etiam, metas esse constitutas Adversario, quas transilire nequit.

XIV.

Quamvis enim stupenda sit Satanæ potentia & inimicitia adversus genus humanum, cujus etiam organa, sagæ inquam & veneficæ, nihil à nocendi studio remittunt; inprimis verò, præter alias calamitates tragicas, obsessionem quoque diabolicam minantur & moluntur: tamen nihil quicquam possunt, ultra permissione Dei, *Job. 1. v. 12. Matth. 8. v. 31. & 10. v. 29. 30. Luc. 22. v. 31. 32. Prov. 26. v. 2. Psal. 109. v. 28.*

XV.

Cur DEUS
permittat
obsessionē?

Causæ, propter quas Deo, mirabiliter sanctos suos ducenti *Psal. 4.* placet, ut etiam per asperrimam hanc viam, nonnulli ad regnum cælorum ducantur eadem ferè sunt, quæ circa alias species crucis considerandæ veniunt: Inprimis concionatur tam truculentum spectaculum, ¹ de reatu peccati, quàm abominabile, quàmque diræ efficacitæ illud sit, ² de tyrannide & potestate Satanæ, ³ de præstantia redemptionis Christi, qui nos solus ex illa asseruit, & adhuc tueri potest, ⁴ de miserissimo statu damnatorū apud inferos, ⁵ de necessitate precum, Christianæ vigilantæ & omnium exercitiorum pietatis, ⁶ de virtute Excommunicationis, qua nonnunquam corpus potestati Satanæ subjicitur, ut spiritus salvus fiat, *1 Cor. 5. v. 5.* ⁷ Deterrere idem debet à securitate,

ritate peccandi, ⁸ nominatim ab illa temeritate, qua vel ad magicas artes in necessitatib. homines confugiunt, vel diris imprecationib. diabolum invitant, vel cum eodem de maleficiis paciscuntur, ⁹ ne dicam, quam insigniter hac ratione illustretur misericordia Dei, qui carne nostrâ ex semine Abrahæ, ad nostram salutem, assumpta, non dignatus est Angelos hujusmodi redemptione; unde in furore & fremitu suo adversus Deum & Ecclesiam, tam obstinatè perseverant. Huc pertinet dictum, quod Hieronymo adscribitur; *Non omnes corporaliter occupare potest Diabolus, ne desperemus; nec omnibus etiam parcere sinitur, ne nobis blandiamur.*

XVI.

Quæ cum ita sint, compescamus nostra judicia, ne ex tam tristi facie adversitatum, de hominis incredulitate & reprobatione, præcipitanter judicemus, *Actor. 14. vers. 22. 2 Timoth. 3. vers. 22.* juxta regulam: suspecti sunt, quos Deus & natura prodigiosè signavit: quæ hac in parte nequiter fallit, *2 Sam. 9. Marc. 14. vers. 3.* Christus enim venit ad destruenda opera Diaboli, *1 Joh. 3. vers. 8.* Idem omnes laborantes & oneratos ad se vocat, *Matth. 21. vers. 28.* sine respectu personarum, *Actor. 10. vers. 34. Roman. 2. vers. 11.* etiam spurios & adulteros, *Judic. 11. vers. 7. Hebr. 11. vers. 31. 32. Matth. 21. vers. 31. Joh. 8. v. 21.* Certè pietas antehac obsessorum post liberationem expressè prædicatur, *Luc. 8. vers. 2. & 39.*

Obsesso per se non officit saluti.

XVII.

Ideoq; inprimis cavendum, ne vel prorsus desperemus de liberatione obsessorum, postquam summus Exorcista Jesus Christus in terris visibiliter obambulare & dæmonia ejicere desiit; vel ad temerarios exorcistas, *Actor. 19. vers. 13. 16.* ad magicas præstigias, *1 Sam. 28. Levit. 20.* ad benedictam aquam, & herbulas ritu Pontificio consecratas, ad artes superstitiosarum vetularum, ad homines sub certo fide dæmonibus admodum infesto, natos, ad præsidium Sanctorum & ad similia ludicra *Job. 41. v. 18.* confugiamus.

XVIII.

Miraculorum enim consuetudo desiit quidem, postquam Christo fides est habita in mundo, *2 Tim. 3. vers. ult.* quia propter incredulos necessaria. *1 Cor. 14. v. 22.* ² & paucis, etiam in primitiva Ecclesia, per speciale donum, familiaris fuit, *1 Cor. 12. Joh. 10. v. 41.* ³ præterea etiam per spirituales ejectionem Satanae, in conversis inter omnes gentes, defectus illorum abundè compensatur; ⁴ ultimis autem mundi

Cur miracula cælestia Satana nunc cesset?

temporibus Antichristus per signa multos seducturus est, 2. *Theff. 2. Matt. 24.* Christus tamen, qui dominatur in medio inimicorum suorum, *Psalm. 110.* adhuc pugnat pro suis adversus Satanam, & digitus Dei, videlicet Spiritus sanctus, efficax est per arma spiritualia, per verbum, & per sacramenta, per preces in sobrietate factas, per hymnos in alacritate spiritus decantatos, ad quæ arma in sacris literis revocamus *1 Sam. 16. Ephes. 6. Marc. 9. Ephes. 5.*

XXIX.

De abusibus hujus Textus.

His ita præmissis, deinceps ordine nonnullos abusus hujus textus debitâ animadversione persequemur: neq; tamen posteriori loco dissimulabimus, quanta virtute & evidentia sententiæ hujus Evangelii plures errores adversariorum retundere valeant.

XXX.

2.
An unitas
sit nota vera
Ecclesiæ?
D. J. A. V. p. 12.
p. 12.

Stapletonus in Relect princip. Fidei. Contr. 1. q. 4. art. 4. pro argumento tertio, ita scribit: *Christus dicit: Omne regnum in se divisum desolabitur, & omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit: sed vera Ecclesia semper stabit, usq; ad consummationem sæculi, Ergo, erit perpetua una absq; ulla divisione in seipsa. Talis igitur perpetua unitas, que proprie consistit in connexione membrorum, per unam obedientiam, est certa vera Ecclesia nunquam desolanda nota.* (pag. 106. 107.)

XXXI.

Quemadmodum autem in genere vanitatem hujus argumentationis quivis pius videt, ita non mirari nequit, qua vertigine mens Jesuitarum versetur, circa verba Salvatoris modò allegata, ex quibus prorsus contrarium, præter mentem ipsius, extruere conantur. Nam luce meridiana clarius est, unitissimam concordiam hoc loco ipsi regno Satanæ adscribi, & propter hanc archissimam conspirationem dæmonum & juratorum ejus, axioma illud à Christo prolatum esse.

XXXII.

Unde vel pueris notum, inconcussum & firmissimum nascitur argumentum: Quicquid regno Satanæ & Cathedræ malignantium competit, illud non potest esse propria, certa & infallibilis nota veræ Ecclesiæ, quæ regnum Christi est: Sed unitas & concordia competit etiam regno Satanæ, juxta asseverationem Domini, *Luc. 11. Matth. 12.* Ergo, non est infallibilis nota veræ Ecclesiæ.

XXXIII.

Si excipiant, se loqui, non de quavis unitate, nec de unitate per se

considerata, sed de connexionione per unam fidem atq; obedientiam, certe unitas per obedientiam neque Satanæ regno, nec societatibus improborum derogari potest, Luc. 11. Proverb. 1. vers. 17. Pontificii autem regni unitas, non veræ fidei, sed Antichristianæ perfidiæ est: unde tandem assumptio de Romano-Catholica Ecclesia per expressam inficiationem repudianda venit.

XXIV.

Præterea, quamvis veræ fidei unitas proprium adjunctum est omnium fidelium, qui unum esse debent in eodem spiritu, Johan. 13. Ephes. 4. vers. 3. 4. Coloss. 3. vers. 14. tamen nota veræ Ecclesiæ esse haud potest, ut quæ incus in corde latitat, & noticiam hominum fugit.

XXV.

Quamvis igitur conspirationes & Leges Papistarum, Tyrannidem Papæ, jugum Hispanicæ inquisitionis, indefessas & clandestinas negotiationes Jesuitarum per omnes provincias (quæ omnia ad firmandam & amplificandam Hierarchiam Pontificiam magno studio concinnantur) non ignoramus: à sinceræ tamen fidei unitate tam longè abesse novimus, ut nec propriarum opinionum consonantiam jactare vel probare queant, tot contradictionibus & diversitatibus apud Scholasticos Doctores, Bellarminum & alios, quasi publicè prostitutis.

XXVI.

Ejusdem Stapletoni argumentum prostat, in part. 1. Cathol. paginâ 113. *Si omnes hæreses, quæ sunt opera Diaboli, virtute Diabolica, Romana Ecclesia damnavit: Satanus Satanam ejecit. Quomodo ergo tot seculis stetit potuit regnum Romani Antichristi, ut hæretici blasphemant? Cui ad stipulatur etiam Costerus: In primis disce, Catholicam Romanam Ecclesiam non esse Diabolicam aut Babylonicum regnum, prout hæretici, maxime, qui post octingentesimum aut nongentesimum existere annum, sacrilegè effutunt: quippe cum interim hæreses omnes, quæ etiamnum à nostris hæreticis pro talibus habentur, domaverit, excommunicaverit, profligaverit nempe Albigensem, Waldensem, Wikesensem, &c. quod sanè nihil aliud est, quam ejicere demones. Et tamen nihilominus florens vigenq; sartatecta in hodiernum etiam diem permanet: quod utiq; non fieret, si Diabolica virtutis potentia omnes hosce demones, hoc est, hæreses, oppugnasset. (Conc. part. 3. pag. 261.)*

3.
An Ecclesia
Romana, quæ
talis, ad reg-
num Sata-
ne pertinet
at?

XXVII.

Ejusdem farinae est consequentia, quam ex versu 23. Stapletonus extruit

extruit: *Necessario igitur, qui colligit cum Christo, qui propagat & defendit fidem Christi: is non spargit, non est Antichristus. Quomodo ergo Papas fecit tot virtutes in nomine Christi, id est, tot gentes ad fidem convertit, per missos à se in hoc opus? (In Relect. fidei, Contr. 3. q. 3. p. 380.)*

XXVIII.

R. Assumptio seu minor propositio aliquot vitiis scatur: ¹ Falsum est, nos diabolicæ virtuti adscribere, quando Romana Ecclesia quasdam hæreses, revera tales, oppugnavit. ² Falsum est, Romanam Ecclesiam, quæ talem, videlicet secundum dogmata sibi propria, quibus à vera Ecclesia dissidet, quæque sola Diaboli opera vocamus, illas hæreses expugnasse, aut gentes convertisse. In corruptissimo enim illo statu Ecclesiæ, præter Antichristiana dogmata multi textus scripturarum retenti sunt in puro suo vigore, quorum virtuti atque efficaciam divinæ adscribendum est, quicquid boni, vel ad compescendas hæreses & idolomaniam Ethnicam, vel ad conversionem hominum evenit. Neque enim insolens est, etiam pessimum medicum interdum bonum & salubre remedium præbere. ³ Falsum est, Romanam Ecclesiam omnes hæreses oppugnasse: plures enim invenit & propagavit, quam unquam adversariis telis adorta est: præterea in multis Confessoribus & Martyribus, qui fortè suos nævos habuerunt, ipsam veritatem oppugnaverunt, ut Petrobrusianorum, Wileli, Waldensium, Hussi & aliorum exempla demonstrant: Usque aded minori propositioni, ab horum exemplis, tum propter dictam causam, tum propter meram particularitatem argumentationis, nihil roboris accedit.

XXIX.

Quod si igitur stetit Romana Ecclesia, permissu & justo iudicio Dei stetit, ejusdem spiritus operatione, quo religio Mahometica atque Judaica stetit, juxta vaticinia, *Matth. 24. v. 24. 2 Thessal. 2. vers. 12. Corinth. 11. vers. 19.*

XXX.

^{4.} Cur non convertamus gentes barbaras? Nihilominus Costerus ita pergit: *Disce, cur heretici (Evangelicos autem & protestantes intelligit) nullas convertant gentes natione barbaras, sed potius Catholicorum condiciones subvertant, pervertantque, nempe, quod ipsorum, quam prædicant, doctrina Diabolica omnino sit, cui gentium Dei nullatenus velim cedere. Itaque hereticorum dationes veniunt oppugnationum Catholicos, ut veram fidem in perfidiam convertant. (Conc. part. 3. pag. 261.)*

XXXI.

Sensus ad hanc formam redit : Quodcunque regnum non oppugnat gentes (extra controversiam vanitate idolatrica & variis erroribus implicitas) nec convertere eas studet, illud consentit & colludit cum Satana: Evangelica Ecclesia seu Lutheranorum regnum non oppugnat gentes barbaras, nempe, quia ministri non excurrunt ad populos barbaros, Ergò, colludit cum Satana.

XXXII.

Verùm in assumptione, partim manifestum mendacium, partim elenchus non causa, ut causa, admittitur. ¹ Omnino enim Ecclesia nostra contra omnes errores gentiles pugnat per verbum Dei, & cedere cogitur Satanas omnium illorum zizaniorum seminator, etiam si ad regiones Barbarorum non excurrant ministri. ² Cur autem non excurrant, excusat illos defectus legitimæ vocationis : Nemo enim misit eos ad extera illa loca, multò minùs exteri illi vocarunt eos; imò ne admittunt quidem, unde meritò hi sequuntur regulam Christi, *Matth. 10. v. 14.* & advigilant singuli suo peculiari gregi, super quem instituti sunt. *Actor. 20. vers. 28.*

XXXIII.

Certè illi, quos Barnabas & Paulus, in visitatione Ecclesiarum, à se per concionem Evangelii pridem plantatarum, constituerunt & reliquerunt pastores & seniores, neq; excurrerunt ad exteras gentes, neque suos illos auditores primò à gentilismo converterunt, ut qui jam operà Pauli credidissent, *Actor. 14. v. 22.*

XXXIV.

Prorsus autem ridiculè principiù petit Costerus, in altero membro sui argumenti: *Quæcumq; Ecclesia sese Romane Ecclesie opponit, illa non cum Christo colligit: Protestantium talis est. Ergò: Neq; nos oppugnamus Pontificios, ut ex vera fide perfidiam coniecimus, sed ut mendacia spiritus Antichristiani confundamus, & ab istius seductione homines sibi cavere discant, Matth. 2. 2. Thess. 2.* Colligentiù enim cù Christo officium est, dispergere pro virili omnia, quæ ipsi adversantur.

XXXV.

Ex eodem fonte (glossis scilicet Antichristianis priùs turbato) fuit & illud: *Disce, Rei illas, per quas diabolicarum tentationum vexationis, imò demones ipsi prostrantur, non repudiandas, uti malas, sed tanquam divinas in precio habendas: uti sunt: In primis signaculum sanctorum sanctæ crucis, reliquæ ac imagines, aqua lustralis, orbiculi cerei, quos agnos Dei no-*

An signum crucis, aqua lustralis, agnus Dei ce- reus &c. Sa- tanam expel- lat ?

minamus, & maxime sanctissima Ecclesie Catholica sacramenta, praeipue autē Eucharistiae ac poenitentiae. Quotidianam namque docemur experientia, diabolicos spiritus minus praevalere adversus illos, qui horum quippiam penes se deserunt, aut usurpant: quodq; per fidelissimos suos satellites studeant haec exhibitare, ut pii Catholici sanis hisce & improperis inducti, ea deponant abjiciantque, ne ipsi demones amplius torquentur ejicianturq;. (Conc. part. 3. pag. 261. 262.)

XXXVI

Respondetur: Experientia illa, etiamsi veritatem historicam, aliis multis modis suspectam, nunc integram relinquamus, nihilominus fallit, quia Satanas non semper serio, coacte vel invitatus cedit, aut quiescit, sed longē frequentius simulatē & per collusionem vel cedit, vel etiam manens tormenta remittit.

XXXVII

Hujusmodi simulationis, qua Satanas non raro callidē invicem opponit, quae tamen utraque probat & efficit idem; irrefragabile documentum sunt contradictoriae haereses, ab uno quidem spiritu infernali excogitatae, & eidem regno inservientes, & tamen invicem, inter homines, colluctantes: ut: particularitas electionis ex absoluto decreto deducta, & Pucciana universalitas: Contemptus Magistratum apud Anabaptistas, & praeposterus honor Magistratus in filiis hujus seculi, qui etiam se celestissima quaeque ad nutum dominorum faciunt, 1 Sam. 22. Jacobi. 4. 2 Sam. 11. Impuritas Conjugii, ejusdemque Sacramentalis sanctitas apud Papistas, &c.

XXXVIII

Satanam autem non serio, sed simulatē averfari aquam benedictam, exorcismos, & similia ludicra arma, quae Pontificia superstitio excogitavit, ex eo facile colligitur, quia absque omni scriptura & ordinatione Dei specialiter his rebus attribuitur, quod divinae potentiae proprium est. Sacramentis veris divinā institutione nitentibus divinam virtutem non deesse in legitimo usu, probe scimus: sed quae istis communitio est cum fictitiis sacramentis in Papatu, cum artolatrīca & missatica Eucharistia, aut satisfactoria poenitentia?

XXXIX

Ceremoniales quosdam ritus in libertate Ecclesiae esse relictos, non diffitemur: nullo autem scripturae testimonio probari potest, ab hujusmodi ritibus, qui non divinā institutione & promissione, ut Sacramenta, sed Christiano hominum arbitrio solummodo nuntur,

tur, virtutem salvificam adversus Satanam & regnum ejus, expectari debere.

XL.

Unde etiam Exorcismus in administratione baptismi tantum ceremonialiter & liberè adhibetur: non quòd ejus virtute Satanæ eji-
ciatur, multò minùs, quòd aliqua obsessio corporalis infantis bap-
tizandi præsumatur, sed¹ ex observantia erga antiquissimam Ecclesiam,
à qua hic ritus ad nos promanavit, ² ad adumbrandum spirituales
captivitatem hominum fœderi gratiæ nondum insertorum, ³ ad re-
præsentandam victoriam Christi, ⁴ ad concionandum de efficacia ba-
ptismi adversum regnum Satanæ.

XL I.

Hunc liberè assumptum, liberè etiam omittere & abrogare potest
Ecclesia, quocunq; tempore, suæ libertati relicta: hisce verò tempori-
bus non abrogat, quia omisso præfractè urgetur ab iis, qui in præci-
puiis articulis fidei gravissimè & blasphemè errant: qui Christianorum
liberos ante baptismum fœderi gratiæ inserunt, & sanctos falsò præ-
dicant; qui etiam Baptismo salvificam efficaciam derogant: contra
quos libertatem nostram meritò vindicamus, Gal. 2. v. 4. c. 5. v. 7.

XL II.

Stapletonus, qui exorcismos Catholicos præsidio hujus textus
munire conatur, hoc in primis urget, quòd Christus hic de vera & effica-
cia ejectione, qua demon invitus expellitur, non de fictitia cessione, loquitur.
(pag. 114. part. 1. Cathol. prompt.)

XL III.

Sed nihil lucratur. Manet enim adhuc infinitum discrimen inter
ejectionem, qua Christus adversus armatum potentiam miraculosam
demonstravit verè & efficacissimè: & inter exorcistas Pontificios, qui
ludicris, imò blasphemis quibusdam ritibus demonia ejicere volunt:
Ille Satanam invitum coëgit: in horum gratiam Satanæ cessiones si-
malat, dummodo superstitionibus & autoritate Romanæ Ecclesiæ
multæ animæ in gehennam præcipitentur.

XL IV.

Unde quid de aliis similibus experimentis, quibus Pontificii
tùm nimis nituntur, tum sese insolenter jactant, sentiendum sit, facile
apparet. Ut, quando Stapletonus ita ad absurdum reducere cona-
tur omnes, qui exorcismos Romanæ Ecclesiæ in dubium vocant: Si
apud sanctos Christi, & nomina Christi, virtute tamen Diaboli, miracula
Gg 2 fierent,

6.
De Exorcif-
mo in bap-
tismo.

7.
De Exorcif-
mis Papiſti-
cis.

8.
De miracu-
lis apud san-
ctos factis.

ferent, ut blasphemant heretici, quid aliud sequeretur, quam ut vel Diabolus sua virtute Christum & sanctos honoraret, vel ad Christi nomen invocatum Diabolus virtutem suam exerceret? Quorum altero nihil absurdius, altero nihil magis impium dari aut cogitari potuit. Nam juxta primum Diabolus seipsum destrueret, eorum cultum promovens, quibus nullum exhiberi vellet, & juxta posteriorem operationi diabolicae Christi nomen subserviret. (In Cath. part. 1. p. 113. Vide etiam Costeri Conc. part. 3. p. 264.)

XLV.

Verum utrumque absurdum, quo adversarius terere vult, nihil est. Non enim Diabolus invidet Sanctis, B. Mariæ, Angelis, & aliis honorem, quem ipsemet ideo excogitavit, introduxit & hactenus adjuvit, quò per idolomaniam hanc Altissimus Creator coeli & terræ offendatur: homines verò à cultu solius veri Dei, ad superstitionis devotionem & fiduciam, cum æterno suo malo, avocentur.

XLVI.

Similiter, si absurdum non est, ipsum Satanam sacra scriptura abuti ad tentandum Christum, *Matth. 4.* eadem, ut & nomine SS. Trinitatis, pane Eucharistico, aqua baptismali, abuti ad incrustandas pestilentissimas hæreses, ad magicas artes, præstigias & incantationes, quas nonnunquam effectus sperati comitantur: neque absurdum erit, per abusum nominis Christi, Antichristiana miracula edere, præsertim cum jamdudum hoc ipsum prædictum sit, *2 Thess. 2. v. 9. 10.*

XLVII.

Satanas igitur tali facilitate sese tempore & loco accommodans, non destruit, sed amplificat suum regnum, prorsusque illud agit, quod & facit per Pseudopphetas, qui pellem ovinam præ se ferunt, ad occultandam lupinam rapacitatem, *Matth. 7.* Item, quando sese in Angelum lucis transformat, *2 Cor. 11.*

XLVIII.

9. Quo autem loco Satanus habet exorcismos & agnos Dei Papi-
 Fabula de effosso oculo Diaboli. ficos; eodem etiam habet nomina sancta (ut vocant) Judæorum: per
 qua tamen fingunt Satanæ arjjerato & arctissime ligato à probis Judæis olim
 sinistrum oculum effossum esse. (Refert Synagoga Jud. Buxdorffii, cap. 3. 6.
 pag. 508. ex Antonio Margarita, de tabernaculis.)

XLIX.

10. De Euphemis & similibus, quasi profundius quid cogitantes, dixerint: Satanus magnus est, & fortior, & multa hominibus mala facit: cur non potius ad hunc confugimus,
 ipsius

ipsum honoramus, & ipsi laudes dicimus, quò propter blandum cultum non faciat nobis mala, sed nobis, ut qui servi ipsius sumus facti, parcat? atque sic etiam Satanianos sese cognominaverint. (In Centur. Magdeb. 4. cap. 5. colum. 390.)

L.

Pessimè videlicet considerarunt potentiam hujus armati & validi, de quo Christus in Evangelio disserit: atque utinam cum veterum Boniflorum Satanomania simili, hujusmodi cæcitas prorsus defuisset! quam tamen saga & venefica hodie, in medio Christianismo, superant, quæ sese non solum in patrociniis & amorem Geniorum majorum dedunt, sed & in illorum gratiam, illorum etiam auxilio, infatigata damna adversus proximum moliuntur.

L I.

Nimia etiam exaggeratio potentie hujus armati videtur Manichæis primam occasionem dedisse cogitandi de Deo malo, ad quem non solum omnia totius mundi mala referenda forent, sed cui etiam æterna essentia atq; majestas adscriberetur.

L II.

Verùm ab hujusmodi tam absurdis & præfatis cogitationibus facile liberantur omnes, qui secundum descriptionem scripturæ potentiam regis infernalis æstimant. Magna illa est, sed infinitis quasi intervallis abjecta infra Deum, cujus creatura fuit Satan, antequam laboreretur, ejusdem captivus & carnifex in omnem æternitatem, postquam primam statione suam deseruit: etiam cum mala molitur, unioe è nutu & permissione divinæ majestatis pendens, *Matth. 8. Job. 1.*

L III.

In interpretatione hujus custodiae seu aulae Armati, hallucinantur etiam Papistæ bifariam, quorum lapsuum obiter, quasi in transitu mentionem adjicere volui. Bellarminus enim lib. 6. de amissione gratiæ, cap. 2. omnes infantes non baptizatos captivos hujus armati vocat, tam in futura, quam in hac vita.

L IV.

Cui subscribit Costerus circa dictum nostrum Evangelii, Qui non est mecum, contra me est, ita disserens: *Disce hinc, nullum reperiri hominem, qui non aut bonus sit, aut malus: omnes sicut Dei vel amici, vel inimici, digni celo aut inferno, &c. Infantes priusquam sacri baptismati fonte renati sunt, & ab originali peccati labe exiati, Deo sunt contrarii, illiusq; inimici: addo, ut qui non baptizati hinc discedunt, Christi adversarii sociantur.*

It.
De salute ^{Chom.} *viv. bene. p. 182*
infanti non *fol. 182*
baptizatorii *de. q. d. p. 22*

tur, licet proprium seu actuale peccatum nullum commiserint. (Conc. part. 3. paginâ 310.)

L V.

O nimis rigidos Rhadamantos, qui tot myriadas missificorum Monachorum & Idolatrarum Satanæ denegant, cui tamen nocte die- que illi servierunt: imbellem autem populum infantum æternæ mor- tis pœna damnandos judicant.!

LVI.

De infantibus extra Ecclesiam natis, recordamur sententiæ Pau- linæ: quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Deus judicabit eos, qui foris sunt, *1. Corinth. 5. vers. 12.* Neque est, cur necessitatem baptismi, vel reatum peccati originalis in infantibus, vel culpam parentum, quorum negligentia interdum parvulis baptismum intercludit, ex- tenuemus: Nihilominus dubitandum non est, Deum per extraor- dinariam gratiam operari in infantibus salutem, à cujus ordinaria applicatione per verbum & sacramenta, in casu necessitatis & im- possibilitatis exclusi sunt.

LVII.

Nam pro contemtoribus ordinis divini haberi nequeunt; ideoq; gaudent promissione generali, *Genes. 17. v. 7. 2 Tim. 2. v. 4. Matt. 28. v. 14. Marc. 16. v. 14.* præsertim cum Christus pro omnibus hominibus, ad eorum reconciliationem satisfecerit, & non tantum natus, sed etiam in utero conceptus sit, ne de misericordia illius, erga conclusos in ute- ro, dubitaretur: præterea etiam preces Ecclesiæ non possunt esse irri- tæ, quibus infantes Deo, si non semper à parentibus, tamen ab aliis pijs per publicas supplicationes offeruntur.

LVIII.

12.
An aula hu-
jus armati
sit limbus pa-
trum?

Ejusdem precii est, quando ex hac aula armati Limbus patrum fabricatur, & per fictitiam liberationem patrum ex illo Limbo, vel purgatorio, hæc oblatio armorum representatur, apud Costerum: *Christus demoni suas vires fregit, eumq; ex hominum cordibus ejecit, vin- xit, spoliis privavit: liberans è Limbo patres antiquos tanto annorum spacio illic vinctos, nec non & illorum animas, qui emendatorio igne purgabantur* (Conc. part. 3. pag. 190.)

LIX.

Figmenta enim hæc sunt: Quando Christus, ceu validior, au- lam Satanæ destruxit, educens vinctos è lacu, *Zachar. 9.* captivam, educens captivitatem, *Psal. 48. Ephes. 4.* & in triumpho ducens, pria- cipa-

ipatus tenebrarum: ipsum infernum destruxit, ab eodem præservans omnes, non solum patres sed etiam foeminas & infantes pios, in quos aeternæ damnationis jus habuisset Diabolus propter peccatum, nisi victoria & lycum JESU CHRISTI per fidem apprehensum, intervenisset.

L X.

Propter miraculum & Apologeticam coniectionem Christi fertur muliercula quædam extulisse vocem in hæc verba: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti: At longè majori contentione, quasi stentoream vocem extollunt Papistæ, ad deprædicandam majestatem Beatæ Virginis Matris, illam scilicet, quæ in sequentibus emblematis satis depicta est.

L X I.

Disce hinc (inquit Costerus) eximia castissimæ virginis sanctivisioniam, quæ corpore & animâ purissima fuit, Si venter, hoc est, minus principale membrum ventus fuit, multo igitur magis potiora membra, caput, manus, pedes, id est omnes anima potentia, memoria, intellectus, voluntas, adeo ut rectè dicamus: TOTA PULCHRA ES. Disce, non fuisse in virgine inordinatas passiones, quæ ex ventre originem trahunt, sed quod a Deo, instar primorum parentum procreata, voluntatem suam cum divina semper unitam habuerit, omnesque virtutum inclinationes rectè rationi subjectas: ita quod neq; originalis, nec actualis peccati labe, si ve veniale, si ve mortiferum illud fuerit, unquam fuerit contaminata, (Conc. part. 3. pag. 342.) In Maria minimum quidem peccati VESTIGIUM existit, ita ut quando de peccatis agitur, oporteat nos hanc solum excipere, (Ibid.)

L X II.

Et paulò post: Decebat, ut rectissime Bernhardus ait, MEDIATRICEM DEI & hominum, Mariam virginem omnibus esse prædicandis doctoribus, quibus à Deo posset exaudiri. Unde secundum corpus quidem erat mater, habens AUTORITATEM IMPERANDI Filio: Verum si secundum animam non fuisset aliquo modo illi similis, CARENS scilicet peccatis ac plena virtutibus, materna hæc ipsius autoritas insufficientis fuisset, ut pro nobis intercedendo, in omnibus exaudiri MERUISSET. Mulier hæc exclamans: Beatus venter, qui te portavit, non intendit, tunc solum beatam fuisse Mariam, cum actu CHRISTUM in utero portaret, aut uberibus lactaret: sed quod tam ipsa, quam corpus ejus SEMPER beata fuerint, sine & erunt. (pag. 343.)

13.

De D. Marie sancti-
monia & di-
gnitate im-
peratoria in
caelis,

LXIII.

Apparet, opinor, per se crassissimus paralogismus à beatitudine aliquali (quam quisvis advertit in verbis mulierculæ; & à beatitudine insufficiente, quam Christus ipse pleniori ostensione ex vero felicitatis fonte supplet) ad talem & tantam beatitudinem, quam analogia fidei Christianæ in æternum ferre nequit, quæ quæ ad manifestissimam ignominiam Christi Domini dominantium cedit, qui in throno dextræ Dei ita cuncta subiecta suis pedibus habet, ut nullius **ARTORITATEM SIBI IMPERANDI** ferat.

XLIV.

Quamvis non solum in hyperbolico & blasphemio excessu peccetur, sed etiam in confusione propriæ & subiectivæ sanctimonix ex condigno, cum ea dignitate, qua Deus ex mere gratuita commiseratione, ut alios indignos peccatores, ita etiam indignam Mariam, dignatus est: quod & ipsa piensissima mater humilimè agnovit, *Luc. 1. vers. 48.* & Archangelus Gabriel evidentissimè demonstravit, *Luc. 1. vers. 28. 30.*

LXV.

Frustra igitur sibi cavet Jesuita his verbis: **PUBLICÈ** exclamavit mulier, ut hinc imprimis doceamus, quod honor ille, qui Dei paræ virginis impenditur, nullatenus Christo ejus Filio, displiceat aut advesetur, cum ex illius honore id proveniat, atq; ad ipsius honorem referatur. (Costerus in Conc. part. 3. pag. 336.) Nam de honore longè alio, & ut dixi; profus blasphemio, mentitur Jesuita, quàm isti mulierculæ unquam in mentem venire potuit aut debuit.

LXVI.

Itiqua est etiam Grodicii accommodatio: *Quemadmodum Maria prædixit, ex hoc beatam me dicent omnes; Luc. 1. v. 48. ita beatam prædicat Elisabeth; idem fecerunt alii absque dubio, idem hæc muliercula in Evangelio, idem nos (Catholici) cum tota Ecclesia agimus. Quam miseri sunt, qui ab hac prophetia Virginis extorris reperuntur.* (Concion. quadripart. 4.)

LXVII.

Cum enim Maria locuta sit de beatitudine, quam ex gratiosissima dignatione & miseratione Altissimi, præter & contra meritum suum, acceperat (quali, suo gradu & loco, etiam Paulus venditus sub peccatum, *Roman. 7.* & Jobus, qui peccato, ut aqua, ebrius erat, *cap. 15.* & is, cui peccata remissa sunt, *Psal. 32.* beatus prædicatur) hanc etiam facile

facile omnes Christiani perpetuam memoriâ & prædicatione circumferant: Papiſtæ fingunt & exaggerant talem dignitatem & ſanctimoniam Mariæ, quæ in omnibus fibris corporis & viribus animæ ſubjectivè inhæreat, per quam mereatur exaudiri in omnibus; per quam autoritatem imperandi filio poſſideat: quæ prærogativæ ſolius Chriſti proſus propriæ ſunt, *Hebr. 7. v. 26. Pſal. 21. v. 3. Matth. 28. v. 18.*

LXVIII.

Præcipue huc deſigendi eſſent oculi Papiſtarum, quod Chriſtus infirmitate mulierculæ, quæ tantum externam & carnalem prærogativam Matris virginis expreſſis verbis prædicaverat, pro ſua manſuetudine in medio & ſuo loco relicta; ſtatim publicè exclamavit, veram & perfectiſſimam beatitudinem à fidei auſcultatione & conſervatione verbi divini provenire: ideoque beatam quidem aliquatenus eſſe ſuam matrem, hoc eſt, felicem, propter conceptionem, geſtationem & lactationem ſui: verè autem beatam ex gratia Dei eſſe, quia ipſa quoque verbum ſuum audivit, & in ſeſe credit.

LXIX.

Ne prolixior ſim in re manifeſtâ, adſcribo tantum verba Antonii de Giſlandis, dubio 89. *Cur Dominus non confirmavit verba mulieris, ſed dixit, quin imò beati, qui audiunt &c? Respondet Chryſoſtomus, quod ideo, quia NIHIL beatæ ſemper virginis profuiſſet partus, niſi valde bona & fidelis fuiſſet.*

LXX.

Suprà dictum eſt, Satanam, qui aliàs unitiſſimè conſervat concordiam regni ſui, tamen pugnam quandam & divortium ſimulare, in aliorum fraudem: præter exempla allata ſuppetit etiam hoc: Papiſtæ ex hoc Evangelio ſummam & incomparabilem eminentiam Mariæ Virginis extollunt: nihilominus Scurra quidam, ejuſdem ſpiritus impulſu extremum contemptum, tum B. Virginis, tum totius foeminei ſexus, inde procudere auſus eſt. Theſi enim 40. diſputationis ſuæ ſcripſit: *Vides, Chriſtum nolle mulieribus adſcribere beatitudinem: Et ſi mater ipſius non eſt beata, quæ illum portavit, quomodo aliæ mulieres debent ſalvati?*

LXXI.

Sciendum igitur, per *travéſſum* hanc Chriſti nequaquam denegari beatitudinem Virgini Matri, ſed tantum oſtendi veram & ſolidiorem cauſam perfectæ beatitudinis ipſius, quam muliercula illa tantum in carnali prærogativa conſtituere videbatur: cum tamen

v. auctar. v. ſit. Mar. 124

14.
Pro dignitate
ſexu-
libris. gl. 2. v. 1. 1. 1.

in regno CHRISTO & via salutis nulla carnalis prerogativa valeat,
Galat. cap. 3.

LXXII.

Attende autem, Christianissime Lector, quot & quam temeraria paradoxa cudant Papistę ex illis ipsis verbis Christi, quibus respon-
sionem muliercula corrigere voluit, quibus etiam totum hoc deli-
rium de Maria subiectiva & naturali præstantia, meritò præverti, aut
dudum tolli debuisset.

LXXIII.

15.
*De lectione
Bibliorum.*
2. 2. 5. 7. 1. 2. 2. 5.

*Non dicit Christus, qui LEGUNT, sed qui AUDIUNT, quia non ex-
pedit cuiq; frequens lectio: sunt enim, qui secundum propriam persuasionem
verbum Dei volentes exponere, novam introducunt fidem.* (ait Costerus,
Conc. part. 3. paginâ 348.)

LXXIV.

Nescius de se suisq; gregalibus, veritatem dicit Jesuita, cum Cai-
pha: Res enim ipsa probat, ipsum legentem scripturas, exponere eas-
dem secundum propriam persuasionem, ad introducendam novam
fidem, hoc est, ab antiquissima fide Prophetarum & Apostolorum a-
lienissimam. Suâ verò intentione vult confundere nos, qui non solum
permittimus, sed etiam imperamus omnibus (etiam Laicis) sedulam
& assiduam lectionem sacrarum literarum, ne glossis ex ore seducto-
rum tantum auditis seducantur à veritate cœlesti, quam in ipsa litera
scripturæ legere, & secundum eam normam auditas corruptelas aver-
sari facile per Spiritus sancti gratiam possunt.

LXXV.

Sed iniquissime! disputat contra id, quod Deus expressè præci-
pit & laudat, *Johann. cap. 5. vers. 39. Matth. 24. vers. 15. Psalm. 1. vers. 2.*
opponit lectionem auditui, quæ duo invicem subordinata sunt, &
conjunctissima esse debent, ³metuit tantum à lectoribus, quod pari
fortuna, videlicet ex accidenti, propter improbitatem mentis, aut se-
ductionem aliorum, æquè ab auditoribus fieri potest & solet: exem-
plo Judæorum, *Johan. cap. 2. 5. & 8.* & ipsorum Jesuitarum, qui pu-
ras quoque conciones secundum præconceptas opiniones pessimas
auscultant.

LXXVI.

16.
*Sola scriptu-
ra continet
verbū Dei.*

Pergit autem idem Costerus: *Non solum scripturam audire oportet,
verum OMNE ID, quod Dei existit verbum. Unde non ait: Beati sunt, qui
scripturas vel audiunt, vel legunt, sed qui audiunt verbum Dei. Illud namq;*
longe

longè est scripturis vetustius, quæ tunc nondum literis exarata erant, cum hæc verba Salvator loqueretur (est autem sermo de Novo Testamento) neque breviter exarata fuerunt. (part. 3. Conc. p. 349.)

LXXVII.

Si Jesuita ambitu verbi divini, cujus amplitudinem scripturæ in literas relatæ, seu angustiori & recentiori opponit, tantum completeretur verbum Propheticum & Apostolicum, secundum accidentales differentias, ipsam substantiam minimè variantes (quatenus scilicet vel annunciatum fuit, antequam describeretur; vel nunc scriptum ex codice Biblico legitur; vel ex eodem, sive iisdem syllabis & verbis, sive aliis, genuinam tamen sententiam incorruptè retinentibus, prædicatur: nullam dicam ei scriberemus: Nunquam enim nos hæc invicem opposuimus.

LXXVIII.

Quia verò hic anguis in herba latitat, quòd sub orali & prædicato seu tradito verbo, etiam fictitias traditiones & glossas, secundum mentem Romanæ Ecclesiæ conceptas, semper venditant: obduramus jam aurem ad hujusmodi sibilum serpentinum, propter sonoram Pauli admonitionem: *Si Angelus de celo aliud Evangelium prædicet, anathema sit, Galat. cap. 1. vers. 8. 9.* Nihil enim pium est, quod censuram scripti verbi ferre nequit, multò minùs pro ipso verbo divino suscipi debet.

LXXIX.

Porro Stapletonus in Prompt. Morali, textu 7. hæc propinat: *Locus hic (videlicet dictum: Beati qui audiunt & custodiunt verbum Dei) contra nefarios temporis nostri hereticos valet, qui solâ fide hominem justificare, bona autem opera ad salutem necessaria non esse, impie dogmatizant. Christus enim beatos, id est, justos & Deo gratos, pronunciat, non qui audiunt tantum, aut audiendo credunt, sed qui operando custodiunt. Similiter Grodicius in Quadripart. 4. super hoc Evangelium: At vos heretici, ne custoditis quidem? Quæ enim custodia verbi, si sola fides justificat, ut vos dicitis?*

LXXX.

Sed heus tu, ô Grodici, optima custodia verbi est, justitiaris operum non præbere aures, quia Apostolus tam perspicuè asseverat: Salvati estis per fidem, idque non ex vobis, Dei gratia est, non ex operibus, ne quis gloriatur, *Ephes. 2. vers. 8. 9.* Item: Scientes, non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi: etiam

nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea, quod non justificatur ex operibus legis ulla caro.

LXXXI.

Atque nihilominus, quando hoc verbum aduersus glossas erroneas purum retinemus & custodimus, perstat illa sententia, quod tantum illi justificentur & saluentur, qui auditum verbum custodiunt. *Luc. 11.* qui non tantum auditores, sed etiam factores legis sunt, *Jac. 1.* qui fidem factis suis demonstrant, *Jacob. 2.* Non tamen propter hæc bona opera saluantur, quod Pontificii præsumunt, & per lubricam consequentiam ex his verbis frustra elicere tentant.

LXXXII.

Utraque enim voluntas Dei est, ut humilima fiducia credamus Evangelicis promissionibus ad salutem, *Joh. 6. vers. 40.* & ut faciamus opera legis ad debitam obedientiam; quantum quidem, in hujus vitæ imbecillitate per Spiritus sancti auxilium fieri potest. Utramq; obseruat, qui verbum Dei fideliter & auscultat & custodit, licet non iisdem ex causis, vel eodem fine.

LXXXIII.

18.
Cruda fabu-
la de Luthe-
ro.

Tali spiritu cum hoc Evangelium tractent Pontificii, non est, quod miremur eorum fabulas de Luthero: contra quem aliàs impulsu Beelzebub toti insaniunt; contra quem vivum, mortem ipsius, & mortem tragicam, fingere non dubitarunt. Adscribam tamen, quod Costerus hoc loco, part. 3. pag. 197. ex Cochlæo & Naso refert: *Luthero Erphordia, in conventu Augustinianorum, cum præfens hoc Evangelium publicè decantaretur, accidisse, ut ad recitationem quasi amens, ac VERE a demonio obsessus, contenta voce exclamaverit: non sum, non sum: ac si diceret: (ait Jesuita) Ego mutus Diabolus nec dum profugatus sum, neq; meum loquendi tempus adhuc venit.*

LXXXIV.

Satius est, ut hujusmodi fabulas, præsertim autorum dudam crassissimarum falsitatum publicè convictorum, qualis Cochlæus est, sicco pede transiliamus, quàm residuis pagellis elenchos excludamus, quorum tamen magnus usus aduersus hereticas opiniones ex ipso textu esse potest.

LXXXV.

Enarratio aliquot Elenchorum.

Certè contra Origenianam opinionem, quasi demones aliquando gra-

do gratiam & salutem adepturi sint, magnopere facit, atque omnem præsumptionem excludit, quod Christus in tota Evangelica historia cum Diabolis non nisi hostiliter egit, ab hominibus illos ejecit, neque honorificam eorum acclamationem sustinuit, *Luc. 4. vers. 34.* Unde neque semen Angelorum assumpsit, *Hebr. 2. vers. 16.* neque ullam promissionem in Evangelio pro Diabolis patefecit; potius autem æternis catenis eos alligavit, *Juda, vers. 6. & Petr. 2. v. 4.*

67.
Diaboli ca-
rent spe sa-
lutis.

LXXXVI.

Quia etiam Judæi blasphemæ tam sollicitè hanc operam dederunt, ut ad abnegationem digiti Dei in miraculis Christi, qualvis causas & modos fingerent atque objicerent (unde hoc loco ejectionem demonii ad Beelzebub retulerunt) nunquam autem magiam SCHEM-HAMPHORAS, etiam in acerrimo conflictu, ipsi objecerunt: rectè colligimus hinc, ipsa fabulâ magis fabulosam esse narrationem Thalmudicam, de Schemhamphoras, qua perhibent, *In templo Salomonis super lapidæ aræ virtutis scriptum fuisse, nomen Dei, quod cuiq; legere quidem, sed memoriter ediscere nemini licuit: Ad valvas igitur templi duos leones (Lutherus ex Paretho duos æneos canes narrat) constitutos esse, quorum rugitu, qui Schemhamphoras eadiscisset, præ metu prorsus obli- sceret: Jesum autem Nazarenum, neglecta divâ illa execratione prohibitionis, speratq; leonû rugitu, introisse, transcripsisse nomen, & mira sua pel- liculam abdidisse: cuius solius nominis virtute tot tantaq; portenta postmo- dum patravit. Vide Luth. Tom. 8. Germ. Jen. fol. 109.*

29.
Christus non
per Schem-
hamphoras
miracula e-
didit.

LXXXVII.

Hæc si facta fuissent unquam, non reticissent præsci Judæi, qui toti in extenuanda Christi virtute & miraculorum ejus dignitate laborabant: præterea nec Josephus, accuratissimus rerum Judaicarum indagator & scriptor, hujus rei mentionem facit ullam; nec in exactissima descriptione templi Salomonis, vel occasiuncula suppeditatur, de tali lapide aut nomine cogitandi.

LXXXVIII.

Cum olim Pharisei miraculis Christi, quæ pro sua liberrima sapientia ediderat, non conquiescentes, alia signa è cœlo peterent; dicebantur *tentare Deum, vers. 16. 29.* Et nos adhuc hodie, post longè majorem cumulum miraculorum, quibus nostra doctrina, tempore Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, confirmata est, patienter feramus Pontificiorum postulata, nobis omnem fidem & pacem dene-

21.
Papiste ten-
tant Deum,
qui miracu-
la adhuc fla-
gant.

gantia, nisi novis miraculis nostram vocationem & certitudinem nostræ doctrinæ nobilitemus?

LXXXIX

Hodiè, inquam, & in hac ultima mundi ætate, de qua nulla promissio extat, quòd Deus velit suam doctrinam per magna & stupenda signa illustrem reddere, postquam mundus credidit Evangelio propter priora miracula, si denuò flagitas signa, quid aliud facis, quàm quòd certitudinem veritatis in dubium vocas? Non dabatur Judæis aliud signum, præter signum Jonæ, *Luc. 11. vers. 29.* neq; Papiæ aliud dabitur, præter miraculum Reformationis, Lutheri operâ confectæ, quæ indies suam virtutem adhuc exferit. Si maximè ederentur à nobis, plus non efficerent, apud occæcatos Antichristi satellites, quàm hæc ejectionis dæmonis apud Pharisæos, præterea, quid attinet hoc tempore gloriari de portentis, quo ipse Antichristus per mendacia miracula suum regnum stabilire solet, *2 Thess. 2?*

XC.

22.
Christus est
verus Deus.

Arianis & cæteris sociis abnegationis opponimus hunc syllogismum: Solus verus & æternus Deus scrutatur corda hominum, *7. reg. 10. & 1. reg. 8. v. 39.* ideoq; verus Deus est, quicumq; corda scrutatur: Sed Filius Mariæ noster Salvator, scrutatus est corda & cognovit cogitationes Judæorum, *Luc. 11. v. 17. Matt. 9. v. 4. c. 22. v. 28. Joh. 2. vers. ult.* Ergò, fuit & est verus Deus.

XCI.

23.
De SS. divi-
nitæte.

Quemadmodum ex eodè nostro Evangelio Nazianzeno & Hieronymo placuit, divinam Spiritus S. essentiam asserere, ex eo, quòd vocatur DIGITUS DEI: Digitus enim & brachium sunt ejusdem substantiæ: Spiritus sanctus est digitus brachii Dei, seu ipseus Dei. Ergò est ejusdem substantiæ cum vero Deo, Patre nempe & Filio *apud Origenem. Vide Analyf. Dieterici*) Dei enim digito notari Spiritum sanctum, testis est Evangelista Matthæus, *c. 12. v. 28.*

XCII.

24.
Deus non
obedit Sata-
næ.

Wiklefo Constantiense Concilium tribuit absurdissimum hoc dogma, quòd Deus debeat obedire Diabolo, quod fortè nec per febrim ipse somniavit (*Osian. Epit. Eccles. Cent. 15. cap. 5.*) Ne tamen quis in hujusmodi delirium abripiatur, ob stare debet hoc Evangelium, in quo armatus Satanas validiori Deo subjectus, & digito Dei prorsus ejectus est: Semen mulieris ad hoc venit, ut contereret caput hujus serpentis,

Genes. ut destrueret opera Diaboli, & *Ioban 3.* eique omnem potestatem adimeret, *Hebr. 2. Coloff. 2.*

XCIII.

Discere licet etiam illud, Philosophiam seu Politicarum naturaliumque rerum scientiam & axiomata, in sano usu (nempe si ancilletur Dominae suae) non aduersari Theologiae, sed potius eidem utiliter famulari.

25.
Philosophia
utiliter famulatur
Theologiae.
Iam. 17. v. 5
101.

XCIV.

Videmus enim Christum, in hac Apologia sua contra blasphemos Adversarios, ut plurimum extraneis huiusmodi axiomatis usum esse, eademque beneficio Logices ad institutum suum accommodasse. *Politicum erat*: regnum in sese divisum vastatur, *vers. 17.* juxta illud *Salustii*: Concordia parvae res crescunt, discordia magna dilabuntur: quo etiam *Carolus IV. Imperator Auream Bullam* exorsus est: *Oeconomicum*: Domus in se divisa cadit, *vers. 17.* *Ethico principio*: Vir bonus in eadem causa de aliis iudicet, sicut de seipso & suis; consentiebat illud, *v. 19.* Si per *Beelzebub* *Dæmonia* ejicio, per quae ejiciunt filii vestri. Secundum *Metaphysicam* regulam: Effectus soli supremæ causæ competens, inferiori non est assignandus; procedebat hoc: Quod digitus Dei facit, nec *Beelzebub*, nec alii rectè attribuitur, *vers. 20.* Ex loco *Simmilium* fori Logici petebatur, *vers. 21*: Cum validus quispiam armatus custodit aulam, &c. Tandem ad *opon. Contrariorum* spectabat, *vers. 23.* Qui non est mecum, contra me est.

*est a similes, simile est
causae et contra*

XCV.

Dignum autem est observatione accuratiori hoc ultimū axioma propter *Anabaptistas* & *Calvinianos*. Manifestè enim duo tantum regna per illud constituuntur, videlicet *Regnum Christi* & *regnum Satanae*, ut necesse sit, quemvis hominem, vel Christo, vel *Satanae* subditum esse: non datur tertium seu intermedium.

XCVI.

Quapropter miserè desipuerunt *Anabaptistae* in colloquio *Franckenthalensi*, Magistratum politicum quasi intermedium inter *Christianorum Ecclesiam* & mundum constituentes, qui debeat pios ab impiis defendere, sicut per *sepimentum Apri* ab *horio* arcentur. (*Act. 25. 9. 5.*)

26.
Etiā fideles
possunt gere-
re magistratum.

XCVII.

Nam scriptura politicas personas expressè piis accenset, *Deut. 17.* & *Par. 19. Matth. 8. Act. 19.* Imò nemo aliis rectè gerere Magistratum potest.

potest, nisi qui Deum timet in vera pietate, quiq; abjuravit opera tenebrarum, quibus regnum Satanæ stabilitur.

XCVIII.

Calviniani verò, si rigorem hujus regulæ Christi probè expendere. (*Qui non est mecum, contra me est: Qui mecum non colligit, dispergit*) cessarent tandem specioso syncretissimo in fraternitatis Christianæ societatem redigere cum veris Christianis eos, quos tamen pro crassissimorum errorum patronis, hoc est, pro *dispergentibus*, in toto orbe Christiano traducunt.

XCIX.

Nonne nos jam diu Arianos, Nestorianos, Pelagianos, Eutychianos, Manichæos, Monotheletas, Marcionitas, Flaccianos, Latrones, mendaces, sacrilegos, &c. vocant: Nostrique regni præsidem (Christum hominem & omnipresentem) Baalem, idolum cerebri, lupum rapacem, appellitant? Si tales sumus, vel seriò ipsis videmur, quâ igitur fronte dextram fraternitatis & sinceram pacem in Christo Jesu offerunt?

C.

Et quia iidem Fratres in nobis ferre reuunt accuratam tractationem Antitheseos, etiam in his capitibus & quæstionibus doctrinæ, in quibus suum à nobis dissensum acerbissimis scriptis profitentur, quam tamen tractationem exemplum Christi & Apostolorum, ut & hæc ipsa regula Evangelica, ab omnibus fidelibus Doctoribus flagitat: In gratiam eorum adscribam verba Nahumi socii: *Requiruntur ab omnibus Christianis, Doctoribus præsertim, ut non tantum doceant veritatem, sed etiam grauer resistant veritati obloquentibus & obijcientibus: exemplum Christi imitantes, qui non tantum, quod rectum verumque fuit, docuit, sed etiam falsum monstrauit & refutauit.* Tir. i. Nahem. 4. Esaiæ 56. *Ea de causa Christus reprehendit aliquos Judæos, qui cum audirent blasphemias Phariseorum, eis se non opposuerunt, sed suo silentio eos approbarunt: eosq; in Adversariorum numero habet inquitens: Qui non est mecum, id est, ex professo partes meas non iurat, is contra me est, id est, est meus adversarius. Quod observandum est omnibus, qui Christum cum Satana SALTEM AD TEMPUS CONCILIANDI rationem quarunt.* (Nahum. in Postill. pag. 267.)

CI.

Clamandum potius est altâ voce aduersus contradictiones, cum hac muliere, quæ contra blasphemias Judæorum extulit vocem suam.

27.

De fraternitate cū Calvinianis.

of. Dom. 25. Tim
3. 15.

28.

Antitheseos tractare, & aduersarios nomenclatione perstringere licet.

Al. de. f. d. 1. 6. b.
de. 3. p. 42

suam: Non tantum dogmata erronea sunt ad censuram accuratam revocanda, sed etiam falsi Doctores quasi digito monstrandi, *Matt. 7. & 16. & 23.* usque adeo non oportet silentio involvere nomina eorum, qui suis dogmatibus nostræ Ecclesiæ & salutis insidiantur, quique exactissimè cognoscendi & vitandi sunt.

CII.

An verè regenerati & verà fide gratiaque salvifica semel donati, iterum possint excidere, aut prorsus ad perditionem degenerare; desinet dubitare, qui attentè suscipit hanc concionem Christi, *vers. 26.* de periculosissima in longè deteriorem statum recidivâ eorum, quos verè à potestate Satanæ liberaverat.

CIII.

Hinc etiam Petrus Bertius, aliàs Calvinianis dogmatibus additus, hanc demonstrationem extruxit: *Ex quo ejectus est demon, is est verè justificatus: At talis potest securitate sua & neglectu relabi in statum priore deteriorem, Ergò, Qui semel verè justificatus fuit, potest relabi in conditionem priori deteriorem.* (In *Hymenæo desertore*, p. 45.)

CIV.

Pro vera Christi humanitate, adversus Marcionitas facit, quod historia Evangelica non solum illius conversationem inter homines & in conspectu hominum, sed etiam gestationem in utero & lactationem enarrat: quam nemo eo tempore in dubium unquam vocavit, ut hæc Muliercula publicè exclamaret: *Beatus venier, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, vers. 27.*

CV.

Ultimo loco vehementer probamus commonefactionem Beati Chemnitii, quam in *Postill. Dominic. I. Epiphæn.* ex hoc textu extruxit: Matres, quæ possunt, non tædeat lactare proprios liberos, exclusis nutricibus conductitiis. Nam ¹ Filius Dei ubera matris suæ suxit, & quasi consecravit hanc alimoniam Infantum: quod exemplum piis matribus inter lactandum semper in conspectu esse debet. ² Creator matribus ad hunc usum ubera addidit, & lacte implevit. ³ Etiam bruta magno affectu suos alunt foetus, nulli labori vel oneri parentia. ⁴ Allicere etiam debent similia, quibus Spiritus S. *Cant. 2. 4. 7.* usus est. ⁵ Arctissimè conjungit Deus benedictionem uberum & uteri, *Gen. 49. vers. 25.* ⁶ Matris officium & cura oeconomicam idem requirit. ⁷ Exemplum Saræ, *Genes. 21.* quæ mater fidelium matronarum, *1 Petr. 3.* (ut alias sanctas foeminas taceam) suadet. ⁸ Præsertim, postquam pessima

29.
Verè renati
possunt ite-
rum petire.

30.
Christus fuit
verus homo.

31.
Ipse matres
lactent suos
liberos.

consuetudo invalescit, ut ex uberibus scortorum ingenuis lactentibus plerumq; pendendum sit: unde etiam in hanc spem, quòd hujusmodi nutrices majores fiant, quàm castæ & pudicæ ancillæ, quamplures Virgines, sibi haud difficulter persuaderi sinunt fornicationes.

CVI.

Prolixior est, quàm ut adscribi huic pagellæ queat, digna tamen lectione dissertatio Phavorini, apud Gellium, quâ suasit foeminae nobili, ut liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo proprio lacte aleret. *Non frustra* (inquit inter cætera) *creditum est, sicut valet, ad fingendas animi atq; corporis similitudines, vis & natura seminis: non secus ad eandem rem, lactis quoq; ingenia & proprietates valere. Quæ igitur (malum) ratio est, nobilitatem nati modo hominis, corpusq; & animum benigne ingenitis primordiis inchoatum, in stirvo degeneriq; alimento lactis alieni corrumpere? Præsertim, si ista, quæ ad præbendum lac adhibetur, aut serva, aut improba, aut informis, aut impudica, aut remulenta sit?* (Noct. Attic. lib. 12. cap. 1.)

CVII.

Annón Cajus Caligula naturæ crudelitatem ex nutricis suæ alimento hausit? Annón Titus continuam ægritudinem, & Tiberius Cæsar bibacitatem inde traxère? (ait Colferus, part. 3. Conc. p. 342.)

CVIII.

Necessitatas tamen, non ficta, non superbis vel ignavis prætextibus excogitata, sed vera, ut aliàs, ita hic, non habet legem. Quo in casu nihilominus, piè & circumspectè agendum, præsertim cum interdum alius potus non inconsultè cum lacte conductitiæ nutricis permutari queat.



INDEX DECADIS SECUNDÆ.

Numerus prior disputationem, posterior thesin signat.

A.			
A braha salutem male negârunt		Benedictiones superstitiosæ,	3, 41.
Marcionitæ	2, 99.	Blasphemia contra conjugium,	1, 2.
Adjuvandi vox non presupponat cooperacionem,	9, 34.	Bibliorum lectio an utilis,?	10, 73.
Adorandus est Christus, etiam quâ homo,	2, 88. 7, 68. 8, 81. 9, 55.	Bona opera sunt necessaria, 5, 6. non tamen ad salutem, 5, 19. 21. multo minus merentur ex condigno, 23. non sunt pernicio- sa ad salutem.	20.
Adoratio Eucharistia, 2, 53. 8, 79. imaginum & sanctorum,	8, 228.	Bucerii opinio de apparitione Diaboli coram Christo,	8, 98.
Ager cordis humani ineptus est ad semen caeleste,	4, 9. 7, 90.	C.	
Allegatio S. scripturæ verbalis,	8, 70.	Calviniani an pro fratrib. agnoscendi, 10, 98.	
Anima Christi passiones sustinuit,	7, 39.	Centesimus, sexagesimus fructus quid, 6, 19.	
Antichristus an dominus sit in Ecclesia?	3, 57.	Centurionis fides an major fuerit fido Ma- ria Virginis?	2, 103.
Antiquitas non est nota veræ Ecclesie, 4, 85.		Christianus licet magistratum gerere & mi- luare, 2, 93. 10, 96. possidere divitias, 2, 100. 6, 41.	
Antihesi tractare & adversarios veritatis nominatim perstringere licet,	10, 100.	Christi xaruvia 3, 68. Deitas probatur, 2, 87. 3, 8. 6, 85. 8, 132. 10, 90. exemplo non stabili- tur contentus parentum, 1, 56. humana natura particeps est idiomatum divino- rum realiter, 2, 9. jejuniûm.	8, 23.
Arianorum corruptela,	8, 58.	Christus an sustinuerit poenas infernales, 7, 82. verus homo fuit, 3, 5. 7, 41. 10, 104. etiam quâ homo adorandus, 2, 88. 7, 68. 8, 81. 9, 55. anima sua passus est, 7, 89. pas- sus est spore & volens, 4, 1. ex decreto Dei, 51. Mediator noster secundum utramq; naturam, 7, 78. quomodo è somno exci- tandus,	3, 69.
Armata adversus Satanam,	9, 53.		
Arma, quibus Papistæ expugnare audent Diabolum.	6, 118. 10, 35.		
Astrologia & prædictiones tempestatum, 3, 36.			
Auditoribus verbi non licet securè in pecca- tis vivere,	6, 89.		
B			
Bacchanaliorum cultores larvati, 7, 4. et- iam modestiores graviter peccant,	6.		
non-Batizati infantes an salventur? 10, 59.			
Barbaræ gentes cur à nostris ministris non convertantur?	10, 30.		

INDEX.

Clericorum vitia an dissimulanda, 2, 67.	
Concupiscentia objecta an Christi cor commoverint? 8, 53.	
Confessio omnium peccatorum Pontificia, 2, 57.	
Conjugii dignitas, 1, 7.	
Conjugium an honorent Pontificii? 1, 5.	
Consecrationes Pontificia num Satanam e templis fugent, 6, 80.	
Consolatio aubnationi de salute opponenda, 9, 16.	
Cooperatio nostra an requiratur ad salutem 1, 76. an aliquid valeat prestare, 6, 33. 7, 90. An propter eam sit tarda nostra renovatio, 2, 68.	
Credulitas superstitiosorum non est fides, 2, 84.	
D.	
Decretum absolute reprobationis rejicitur, 6, 49.	
Deitas Christi, 2, 87. 3, 8. 6, 85. 8, 131. 10, 90. & Spiritus sancti, 10, 92. adstruitur.	
Denarius vinitoris quid notet? 5, 9.	
Descensus Christi ad inferos non fuit passio, 7, 55.	
Deus non est causa heresum aut aliorum malorum, 4, 88. non obedi Satanæ, 10, 92. solus habet potestatem tempestatum, 3, 30. verè passus est, 7, 28.	
Diaboli carent spe salutis, 10, 85.	
Dignitas conjugii, 1, 7.	
Disciplina nautica & militaris, 2, 97.	
Divitiarum et possidere Christiano 2, 100. 6, 41.	
Divina gloria derogatur per justitiam operum, 7, 102.	
Donatistarum error, 5, 73.	
Dubitatio Pontificia refutatur, 2, 41. 3, 20.	
Dubitatio de salute opponenda consolatio, 9, 16.	
Duellum an licitum, 8, 85.	
E.	
Ebrietas non excusatur exemplo Chanaanarum nuptiarum, 1, 95.	
Ecclesia an nequeat degenerare sollicito Christo 1, 79. 2, 101. adversariis. est obnoxia, 3, 1. invisibilis an deitur? 3, 52. 5, 78. Rom. an, quæ talis ad regnum Satanæ pertineat, 10, 26. vera etiã sub corrupto ministerio esse potest, 4, 82. vera habet admixtos malos, 4, 87. V. Test. an fuerit regnum caelorum, 4, 4.	
in Ecclesia an dominatus sit Antichristus, 3, 57.	
Ecclesia nota an sit multitudo, 2, 74. 3, 55. 4, 85. 6, 2. (3, 63.)	
Ecclesia in navicula quomodo manendã,	
Ecclesiasticorum comparatio cum turba precedente, 7, 88.	
Efficacia verbi divini, 6, 86. ea non pendet à qualitate ministri, 88.	
Electio unde adjudicanda, 9, 64.	
Eremiticam vitam an Christus suo exemplo docuerit? 8, 50.	
Est pro significat perperã accipitur 6, 47.	
Evangelium de collo suspensum, 6, 76.	
Evangelium mysteria an debeat pater e omnib.	
Eucharistia adoratio, 2, 53. 8, 79. (6, 7.)	
Euphemita cultores Satanæ, 10, 49.	
Exercitium religionis adversa quomodo concedi possit? 4, 58.	
Exorcismus in Baptismo 10, 40.	
Exorcismi Papistici, 10, 42.	
F.	
Fabula de effosso oculo Satanæ, 10, 48. de Luthero, 10, 83.	
Fides revera salvat, 6, 81. quomodo? 104. sed nõ quã operib. informata 7, 98. sola salvat, 10, 79. aliena non salvat, 9, 81. per peccatum mortale amittitur, 3, 73. non placet per	

INDEX.

- per se, 2, 46. an per bona opera informetur, 2, 37. nou est superstitio fororum credulitas, 2, 84.
- Fides** implicita, 2, 20. (Lucas, 2, 84.)
Fides leprosi & Centurionis non caruit verbo, 2, 42. Centurionis an maior fuerit fide Mariae virginis, 2, 103. Chenanane an peculiariter sibi applicauerit promissiones de Christo, 9, 88.
Fides an sit seruanda haeretico? 4, 66.
Fidei indubitata est fiducia 2, 35. 3, 15.
Fidei iustificantis objectum, 2, 28.
Fidei requisita secundum Barisium, 2, 3.
Fidei uera an sit sanctis mediatoribus uis ad Christum? 2, 48. (10, 98.)
Fraternitas cum Calvinianis num colenda
Fraudulentia Papistarum, 4, 33.

G.

Gentes barbara cur à nostris ministris non convertantur, 10, 30.
Gloria diuina derogat operum iustitia, 7, 102.
Gratia Christi an sit alligata ordinariae successioni, 3, 63.

H.

Haeretici & errantes non sunt confundendi, 7, 65.
Haeretici an sint à uiuis tollendi, 4, 68. Eorum libri, 4, 80.
Haeretico an sit seruanda fides, 4, 66.
Heluidius refutatur, 1, 58.
Homo uerus fuit Christus, 3, 5. 7, 41. 10, 20. 4.
Humana fragilitati Christus liberè fuit obnoxius, 7, 41.
Humana Christi natura realiter particeps est idiomatum diuinarum, 2, 90.
Humana sapientia an feratur in diuinis, 2, 72.
Hydria & uinum inter reliquias Papist. 1, 83.

I.

Jejunia & eorum finis, 8, 3. Papistica
 jejunia, 6. jejuniu quadragesimale, 22. Christi, 23. (8, 38.)
 per Jejunium an Christo compatiamur?
Testura iactant se domesticos Mariae, 1, 55.
Imaginum adoratio, 8, 128.
Imprecationes superstitiosae, 3, 41.
Infantes non baptizati an saluentur? 10, 53.
Infernales poenas an Christus sustinuerit, & quomodo? 7, 82.
Infidelium opera an disponant ad gratiam Dei, 2, 56.
Infidelium uirtutes Deo. òpensare solet, 5, 17.
Inuisibilis Ecclesia an detur? 3, 52. 5, 78.

L.

Lapsus sanctorum non sunt dissimulandi, 3, 2.
Laruari & lerra improbantur, 8, 107. laruari Baecanaliuorum cultores, 7, 4.
Lectio Bibliorum an expediat? 10, 73.
Legis diuinae obseruatio perfecta an sit possibilis? 4, 69.
Liberos suos lactent ipse matres, 10, 108.
Libertas arbitrii humani in diuinis nulla,
Libri haeticorum, 4, 80. (5, 76.)
Limbus Patrum an sit aula Satanae, 10, 85.
 In limbo an fuerint Patres V. Testam. uel que ad Christum, 2, 79. 4, 7.
Lutheri conflictus cum Satana 10, 58.

M.

Magistratus an rectè cõparetur spiritui, 6, 44.
Magistratum gerere & militare licet fidelibus, 2, 93. 10, 96.
Mali sunt admixti uerae Ecclesia, 4, 87.
Mandatorum Dei obseruatio integra an sit possibilis? 1, 69.
Manichei refutantur, 1, 57. 4, 2.
Mansiones post hanc uitã tantũ due, 2, 102.
Maria an repulsam passa, aut reprehensa sit, 1, 48. quibus sit patrona, 5, 4. Eius auri-

INDEX.

toritas in cœlis, 1, 37, 10, 60. illius domesti-	Omnibus ne patere debeant mysteria Ev-
cos jactant se fefecisse, 1, 55.	angelii? 6, 7.
Matres ipsæ lactent suos liberos, 10, 105.	pro Omnibus passus est Christus, 9, 63.
Marrimonium an sit sacramentum? 1, 29.	Omnipotentia Dei nō est restringenda, 2, 92.
Ejus dignitas, 7.	Omnipotentiam Christi hominis an fides
Mediator est Christus secundum utram-	requirat? 2, 71.
que naturam, 7, 7. 8.	Opera bona sunt necessaria, 5, 16. quomo-
Mediatoribus Sanctis uti ad Christum an	do placeant, 18. ad salutē nil conferūt, 19.
liceat? 2, 48.	non tamen pernicioſa sunt, 20. ad salutē
Mendici quomodo tractandi? 7, 69.	nullo modo necessaria, 21. multo minus
Medicitas an peculiariter Deo placeat, 7, 86.	merentur ex condigno, 23.
Militum status an sit meritorius? 2, 96.	Opera bona an fidem informant, 2, 37.
Militare licet fidelibus, 2, 93.	Opera infidelium an disponant ad gratiā?
Miracula, 1, 97. Ea adhuc flagitantes ten-	2, 56. compensantur a Deo 5, 17.
tant Deum, 10, 86.	Operum justitia derogat gloria divina, 7,
Miracula apud sanctos facta qualia 10, 44.	102.
Miracula sua an Christus ediderit p Sche-	P.
hamphoras? 10, 86.	Pacificatio religionis an obligeat? 4, 62.
Miraculosa Satana ejectione cur nunc cesset?	Papista quibus armis oppugnet Satanam,
10, 18.	8, 118.
Missa Papistica refutatur, 7, 62.	Papistarum fraudulentia, 4, 53.
Mortale peccatum cur excusat fidem? 3, 73.	Parentum contemptus non stabilitur Christi
Mulieribus sexus dignitas, 2, 59. 9, 2. 10, 70.	exemplo, 1, 56.
Multi an venerim ad nostram veram re-	Passus est Christus etiam animā suā, 7, 39.
ligionem? 2, 76.	Spontē & volens, 4, 4. ex decreto Dei, 51.
Multitudo an sit nota Ecclesiæ? 2, 74. 3, 55.	pro omnibus, 9, 63.
4, 85. 6, 2.	Per Pastores quomodo Deus mysteria salu-
Mysteria Evangelii an omnibus patere de-	tus patefaciat, 7, 75.
beant? 6, 7.	Patres V. Testam. an fuerim in limbo, 2, 79.
N.	Pauperias an sit prima scala in cælum, 1, 81.
Nominatim perstringere licet adversarios	Peccatorum omnium in specie confessio Pa-
veritatis, 10, 100.	pistica, 2, 57.
O.	Peccatis securē indulgere non licet auctori-
Obedientia religiosorum, 3, 71.	bis verbi, 6, 89.
Obiectum fidei justificantis, 2, 28.	Peccatum mortale excusat fidem, 3, 73.
Obsessio Diaboli, 10, 3. pro obsessis consolatio,	Pericula temerē ad eunda non sunt, 8, 105.
13. cur obsessionem Deus permittat, 15.	Petenda sunt a Deo etiam res terrestres,
quæ per se non officit salutē, 16.	1, 67.

I N D E X.

Philosophia utiliter famularur Theologia, 10,93.	Sapientia humana quatenus ferenda in di- vini, 2,72.
Politica officia an sint fugienda, 6,41.	Satanas an à templis arceatur per conse- crationes Papislicas, 6, 80. quid possit per- sugas & alias prestigias, 8, 14. quos comi- nus ag greditur, 11 non omnes sunt impii, 8, 121.
Pontificia doctrina an sit triticum? de Pontificatu Romano, 7,57.	Satanæ aula an sit lumbus Patrium, 20, 58. eius miruculosa ejectio cur nunc cesset? 10, 58.
Q.	
Quadragesimale jejunium, 8, 22. & seqq. an an per illud Christo compatiatur, 38.	Satanæ Deus non obedit, 10, 92.
R.	
Religionem veram quomodo multi amplexi sint? 2, 76.	Satanam quibus armis oppugnare sole- ant Papislicæ, 8, 218. 10, 35.
Religionis exercitium quomodo concedi pos- sit? 4, 38.	Scriptura sacra an sit verbum Dei, 6, 21. in- quæ accusatur obscuritatis, 7, 84. Sola illa continet verbum Dei, 10, 76. Ejus in- terpretatio non nisi ex ipsa petenda, 6, 74. p ^{ro} strictè retinendum, 8, 74. Allegatio illius verbalis, 3, 70.
Religionis pacificatio an obliget? 4, 62.	Sebembamphoras, 10, 86.
Religiosorum obedientia, 3, 71.	Seculares an fugiendi sint? 1, 62.
Reliquiæ, 7, 80.	SO LA particula, Rom 3. 8, 124.
Renati possunt iterum excidere gratiâ Dei, 6, 67.	Spiritus sanctus est verus Deus, 10, 92.
Reprobation non est absolutè facta, 6, 49.	Successioni ordinariæ an gratia Dei sit alli- gata? 2, 63. illa non est nota Ecclesiæ, 4, 85.
Repulsam ne passa sit Maria virgo? 1, 48.	Superstitiosæ benedictiones & imprecatio- nes, 3, 41.
Res terrestres etiam petende sunt à Deo, 1, 67.	Superstitiosorum credulitas non est fides, 2, 84.
Scripturæ an strictè retinendum? 8, 74.	Suspensio Evangelii de collo, 6, 76.
Romana Ecclesia, quâ talis, an ad regnum Satanæ pertineat? 10, 26.	T.
Romanus Papatius, 7, 57.	Tempestatum potestas est penes solum Deum, 3, 30. earundem Astrologica præ- dictiones, 36. in tempestatibus quid fa- ciendum, 39.
Rosarium precum Catholicarum, 9, 56.	Templorum sanctitas, 8, 66.
S.	Ten-
Sacramenta non operantur ex opere opera- to, 6, 73.	
Sacramentum an sit matrimonium, 1, 29.	
Sagarum potestas circa tempestates, 3, 32.	
cur illæ supplicio afficiantur, 35.	
Sancti non sunt invocandi, 9, 38. an sint mediatores ad Christum, 2, 48. Eorum scientia in cælis, 1, 51. lapsus non sunt dis- simulandi, 3, 2.	
Sanctitas templorum, 8, 66.	

INDEX.

<i>Tentatoris accessus ad Christum qualis fuerit, 8, 56. opinio Buceri,</i>	98.	<i>Verbi divini efficacia, 6, 86. ea non pendet à qualitate Ministri,</i>	88.
<i>Traditiones præter scripturam, 1, 72. An sint lydius lapis doctrina,</i>	8, 69.	<i>Veteris Testam. Ecclesia an fuerit regnum cælorum?</i>	4, 7.
<i>Transmutatio aquæ Chananæe nil facit pro transsubstantiatione in cœna, 1, 84.</i>		<i>Vet. Testam. Patres an fuerint in Limbo?</i>	2, 79. 4, 7.
<i>Transsubstantiatio Pontificia, 1, 84. 8, 61.</i>		<i>Vinum & hydra Chananæa inter reliquias Papiſticas,</i>	1, 83.
V.		<i>Unitas an sit nota Ecclesia,</i>	10, 20.
<i>Valentinianorum Acones refutantur, 5, 71.</i>		<i>Virtutes infidelium Deus compensare solet,</i>	5, 17.
<i>Über sie zum zeugniss/</i>	2, 61.	<i>Voluntas beneplaciti & signi,</i>	6, 61.
<i>Verbum Dei continetur in sola scriptura,</i>	10, 76.		
<i>Verbi auditoribus non licet secunde in peccatis vivere,</i>	6, 89.		

SOLI DEO GLORIA.

